This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



G 803

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 Stephen Salisbury, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

QUAESTIONES ATTICAE.

DE HYPOTHESIBUS ALIQUOT MUELLERI STRUEBING.

g 202

QUAESTIONES ATTICAE.

DE HYPOTHESIBUS ALIQUOT MUELLERI STRUEBING.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. K. HOFFMANN,

PHIL. NAT. DOCT. ET IN FACULTATE DISCIPL. MATHEM. ET PHYSIC. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

PIETER DE KONING,

DORDRACENSIS.

DIE XXIII M. MAII A. MDCCCXCI, HORA III.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD A. H. ADRIANI.

MDCCCXCI.

G 803

HARVARD COLLEGE
APR 2 1906
LIBRARY.
Salisbury Fund

Parentibus Optimis Carissimis.

Liber, quem primum edidit Mueller Struebing, vir doctissimus et sagacissimus („Aristophanes und die Historische Kritik. Polemische Studien zur Geschichte von Athen im Fünften Jahrhundert vor Ch. G."), ceteris eius scriptis omnibus praestare mihi videtur. Duabus disputationibus („über die Benutzung der Attischen Komödie für die Geschichtschreibung" et „über die Athenischen Strategen"), quas annis 1867 et 1868 Londinii recitavit, dissertationem de magistratibus civilibus Atheniensibus et alteram de Thucydide addidit et eum librum, multis excursionibus auctum, quinto anno post apud Teubnerum edidit.

Plurimorum philologorum contentiones excitavit, ut primum prodiit. Classicum cecinerat, turbata erat quies militum in doctrinae suae tentoriis desidentium, quorum alia prorsus eversa sunt, alia maximas rimas duxerunt. Et magno terrore perculsi aut in integros locos confugientes tacuerunt viri docti, aut ex armamentariis, quibus se defenderent arma conquisiverunt, quae tamen maiore ex parte humore et neglegentia corrupta erant, alii telis, quae semper ad manum sunt, convitiis et ludibrio usi sunt. Et quanquam postea novos fecit impetus M. S. et murum Thucydideum vehementius quassavit, multi post ruinas, cum rudera sibi satis firma fore sperarent (après eux le déluge), ad quietam vitam redierunt. Alii autem, qui, causam perditam esse censentes, castra diruta deseruerunt,

nunc errant, incerti, quo se vertant; sed veritatem difficilem quaerere maluerunt, quam ignorantiae otio frui.

Ego autem de nonnullis Muelleri hypothesibus agam, non de omnibus, ne de maiore quidem earum parte — neque de iis rebus, quas tractabo, omnium virorum doctorum opinionibus collectis et perpensis perfectas disputationes componere conabor: id enim et totius vitae tempus requireret et multos libros impleret. Quousque vero firmis usus sit M. S. argumentis, quantopere nonnunquam ea, quae antea contendisset, posterioribus scriptis ipse neglexerit vel diluerit, quae eius inventa mihi certa esse videantur, ea explorare mihi in animo est.

Egregiarum tamen disputationum, quae in libro eius „Arist. u. d. Hist. Krit." leguntur, paucas tantummodo tractabo. Nam cum librum meum perfecissem et de his quoque capita aliquot scripsissem, Aristotelis liber de Atheniensium civitate, nuper repertus, in lucem prodiit. Hic et Muelleri hypotheses complures et meam earum impugnationem vel approbationem sustulit; nam multa, quae antea fere certa esse videbantur, nunc falsa esse apparuit.

Sic pulchra Muelleri de sorte disputatio (cui tamen non assentiebar) novis inventis omnino diluitur. Sic egregia illa hypothesis de munere tamiae τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει iam est deserenda. Quod valde doleo. Sed quoniam Aristoteles in priore libri sui parte, qua civitatis Atheniensis historiam adumbravit, nullam huius magistratus fecit mentionem [1]), ubi ea refert, quae fecerunt Aristides, Ephialtes, Pericles [2]), quae tamias eos fecisse, coniecerat M. S., credebam ego, non amplius ponere licet, extitisse quidem hunc magistratum ante Euclidem, sed forte fortuna nul-

---

1) Neque tamiam nominavit Aristoteles inter ceteros magistratus, qui quadringentorum senatus (anni 411) sodales fuerunt (cap. 30).

2) Προστάτας τοῦ δήμου eos vocat; sed hoc vocabulo magistratum eum non indicari, e compluribus locis patet (cf. cap. 26, 28). Idem significat, quod δημαγωγὸς, dux partium popularium.

lam eius mentionem superesse. Non satis quidem mirari possumus, ne in altera quidem libri sui parte, qua quarti saeculi civitatem descripsit, quidquam de eo rettulisse philosophum, quanquam cap. 47 sqq. omnes sui temporis magistratus enumeravit; sed tamen argumentum illud de silentio, quod iam antea firmissimum erat, nunc tantopere corroboratum est, ut non amplius neglegi possit.

Nihilominus hypothesis ea inter optima, quae scripsit M. S., referenda erit.

I.

De Acharnensium v. 676—718 (Arist. u. d. Hist. Krit. p. 320—347).

Exscribam locum, quo de crebris litibus ad fiscum pertinentibus et de nequam iuvenibus, qui eas intendant, lamentatur poeta. Et pro exemplo indignam Thucydidis senis causam laudavit.

οἱ γέροντες οἱ παλαιοὶ μεμΦόμεσθα τῇ πόλει.
οὐ γὰρ ἀξίως ἐκείνων, ὧν ἐναυμαχήσαμεν,
γηροβοσκούμεσθ' ὑΦ' ὑμῶν, ἀλλὰ δεινὰ πάσχομεν,
οἵτινες γέροντας ἄνδρας ἐμβαλόντες ἐς γραΦὰς
ὑπὸ νεανίσκων ἐᾶτε καταγελᾶσθαι ῥητόρων,
οὐδὲν ὄντας, ἀλλὰ κωΦοὺς καὶ παρεξηυλημένους,
οἷς Ποσειδῶν ἀσΦάλειός ἐστιν ἡ βακτηρία·
τονθορύζοντες δὲ γήρᾳ τῷ λίθῳ προσέσταμεν,
οὐχ ὁρῶντες οὐδὲν εἰ μὴ τῆς δίκης τὴν ἠλύγην.
ὁ δὲ νεανίας ἑαυτῷ σπουδάσας ξυνηγορεῖν
ἐς τάχος παίει ξυνάπτων στρογγύλοις τοῖς ῥήμασιν·
κἄτ' ἀνελκύσας ἐρωτᾷ, σκανδάληθρ' ἱστὰς ἐπῶν,
ἄνδρα Τιθωνὸν σπαράττων καὶ ταράττων καὶ κυκῶν.
ὁ δ' ὑπὸ γήρως μασταρύζει, κἄτ' ὀΦλὼν ἀπέρχεται·
εἶτα λύζει καὶ δακρύει καὶ λέγει πρὸς τοὺς Φίλους,
οὔ μ' ἐχρῆν σορὸν πρίασθαι, τοῦτ' ὀΦλὼν ἀπέρχομαι.

ταῦτα πῶς εἰκότα, γέροντ' ἀπολέσαι, πολιὸν ἄνδρα, περὶ κλέψυδραν,
πολλὰ δὴ ξυμπονήσαντα καὶ θερμὸν ἀπομορξάμενον ἀνδρικὸν ἱδρῶτα
[δὴ καὶ πολύν,
ἄνδρ' ἀγαθὸν ὄντα Μαραθῶνι περὶ τὴν πόλιν; 697
εἶτα Μαραθῶνι μὲν ὅτ' ἤμεν, ἐδιώκομεν,
νῦν δ' ὑπ' ἀνδρῶν πονηρῶν σΦόδρα διωκόμεθα,
κἄτα πρὸς ἁλισκόμεθα. 700
Πρὸς τάδε τί ἀντερεῖ Μαρψίας;
τῷ γὰρ εἰκὸς ἄνδρα κυΦὸν, ἡλίκον Θουκυδίδην,
ἐξολέσθαι ξυμπλακέντα τῇ Σκυθῶν ἐρημίᾳ,
τῷδε τῷ ΚηΦισοδήμῳ, τῷ λάλῳ ξυνηγόρῳ; 705
ὥστ' ἐγὼ μὲν ἠλέησα, κἀπεμορξάμην ἰδὼν
ἄνδρα πρεσβύτην ὑπ' ἀνδρὸς τοξότου κυκώμενον,
ὃς μὰ τὴν Δήμητρ', ἐκεῖνος ἡνίκ' ἦν Θουκυδίδης,
οὐδ' ἂν αὐτὴν τὴν Ἀχαΐαν ῥᾳδίως ἠνέσχετο,
ἀλλὰ κατεπάλαισεν ἂν μὲν πρῶτον Εὐάθλους δέκα, 710
κατεβόησε δ' ἂν κεκραγὼς τοξότας τρισχιλίους,
περιετόξευσεν δ' ἂν αὐτοῦ τοῦ πάτρος τοὺς ξυγγενεῖς.
ἀλλ' ἐπειδὴ τοὺς γέροντας οὐκ ἐᾶθ' ὕπνου τυχεῖν,
ψηΦίσασθε χωρὶς εἶναι τὰς γραΦάς, ὅπως ἂν ᾖ
τῷ γέροντι μὲν γέρων καὶ νωδὸς ὁ ξυνήγορος, 715
τοῖς νέοισι δ' εὐρύπρωκτος καὶ λάλος χὠ Κλεινίου.
κἀξελαύνειν χρὴ τὸ λοιπὸν, κἂν Φύγῃ τις, ζημιοῦν,
τὸν γέροντα τῷ γέροντι, τὸν νέον δὲ τῷ νέῳ. 718

Thucydidem autem illum, qui in his versibus commemoratur, non esse Melesiae filium, notissimum Periclis adversarium, contendit M. S. et prorsus ei assentior, quoniam ad virum nobilem, urbanum pertinere non possunt v. 710—713. Quanquam concedo, in dubium vocari rem, si comparamus hos duos locos, a viro doctissimo Leeuwenio mihi suppeditatos: Plat. Menon. p. 94, c., Plut. V. Per. 8. Nam hic Melesiae filius Archidamo, cum rogaret: „meliusne luctaris tu an Pericles?" haec respondet: „Ὅταν ἐγὼ καταβάλω παλαίων, ἐκεῖνος ἀντιλέγων, ὡς οὐ πέπτωνε, νικᾷ καὶ μεταπείθει τοὺς ὁρῶντας." Altero autem loco idem Thu-

cydides filios suos et cetera diligenter edocuisse dicitur et imprimis palaestram: καὶ ἐπάλαισαν κάλλιστα Ἀθηναίων. Palaestram igitur amavisse videtur Periclis adversarius.

Hi sane loci versum 710 explicare possunt, si Melesiae filius significatur; num tamen versus sequentes de eodem viro nobilissimo dici potuerint, vehementer dubito. Arcum enim Atheniensium optimates dedecuisse, apparet e Soph. Ai. v. 1120 sqq. Praeterea Plutarchei loci pondus paullum imminuitur Equitum loco v. 571 sqq. (vid. p. 43); hinc enim efficio, imagine ea e palaestra desumpta saepius usos esse Athenienses. Has autem ob causas opinionem meam, Thucydidem, cuius in antepirrhemate fit mentio, non Melesiae esse filium, deserere nondum audeo.

Versus 685 corruptus est. Elmsleii autem emendatio νεανίαν Struebingio displicet; nam praefert Alberti Mueller coniecturam ἑταίρῳ pro ἑαυτῷ. Mihi contra Conti emendatio palmaria esse videtur: ὁ δὲ νεανίας ἐάν τῳ σπουδάσας ξυνηγορῇ. Sed quidquid id est, non verum est id, quod Elmsleio obiecit noster: accusatori, qui ἐς τάχος παίειν κ. τ. ἑ. dicatur, adiutore opus non fuisse. Nonne enim eodem iure rogare liceret, si legeremus e. g.: „dux copiis contractis (vel sociis adesse iussis), hostem profligavit," quorsum copias conscripsisset, sociosve arcessivisset, si ipse hostem vincere posset?

In duobus autem viris, quorum v. 685 mentio fit, Cephisodorum et Euathlum (v. 705 et 710) repperisse sibi videtur M. S., quorum alter γραμματεὺς, alter συνήγορος idem facere ei videntur, quod describit Aristophanes (Vesp. v. 692 sqq.):

μειράκιον (687)
καὶ κοινωνῶν τῶν ἀρχόντων ἑτέρῳ τινὶ τῶν μεθ' ἑαυτοῦ, 692
ἤν τίς τε διδῷ τῶν Φευγόντων, ξυνθέντε τὸ πρᾶγμα δύ' ὄντε
ἐσπουδάκατον, κἄθ' ὡς πρίονθ' ὁ μὲν ἕλκει, ὁ δ' ἀντενέδωκεν·

Athenis male audiebant γραμματεῖς, quorum quasi ordo erat; nam cum per duos annos continuos iisdem officiis

servire iis non liceret, ex alio in aliud collegium transire solebant, unde multorum annorum peritia unius anni magistratibus praestabant, qui multas igitur res iis crederent. Atque cum non clementer egisse videantur, notissimi in urbe erant homines, sed simul odiosi; quam ob rem a comicis saepius deridebantur, cuius rei nonnulla exempla repperit M. S. in Aristophane (partim tamen incerta) p. 338 sqq.

Euathli autem, *συνηγόρου* iuvenis, in Holcadum fragmento mentio [1]) fit (Dind. 362):

> *Ἔστι τις πονηρὸς ἡμῖν τοξότης ξυνήγορος*
> *ὥσπερ Εὔαθλος παρ' ὑμῖν τοῖς νέοις*

quem eundem esse ac eum, qui in Acharnensibus nominatur, cuique patet.

De hoc fragmento postquam Elmsley dixit, verisimile esse, alterum *συνήγορον* Cephisodemum esse, quod saepius homines duo similes ab Aristophane una derideantur (ut Straton et Clisthenes), ceteras versus emendationes [2]) reiecit M. S. et cum ipsum Cephisodemi nomen in versum inseri nequeat, nomen viri, qui anno 425 *γραμματεὺς τῶν ταμιῶν τῆς Θεοῦ* fuit [3]) excidisse suspicatur; addit igitur in versus fine vocem Κηφισοφῶν.

Ita igitur Acharnensium locum explicat, ut in Thucydidis causa Euathlus fuerit *συνήγορος*, Cephisophon autem *γραμματεύς*.

Cum vero in versu 705 Cephisodemi nomen legatur, aut *τῷδε τῷ* Κηφισοφῶντι scripsisse Muellero videtur Aristophanes, aut viri nomen cum alius noti delatoris in unum coniunxisse, aut, cum illius familiae nomina fere omnia a Cephiso incepisse videantur et fortasse multi ex ea orti sint delatores, totam familiam, quasi *δῆμος* quidam

---

1) A Diogene Laertio inter Protagorae accusatores nominatur.

2) Elmsley versui praefigit verba *τοῖς παλαιοῖς*, Bergk autem *τοῖς γέρουσι* vel *εὐρύπρωκτος*.

3) Κηφισοφῶν Κηφισοδώρου Ἑρμειος.

esset τῶν ἀπὸ Κηφισοῦ, hoc nomine significare voluisse.

At quomodo totam familiam pro uno homine nominare poterat poeta? Vertamus enim versum et tale quid fieri non potuisse, etiam caeco apparebit: „Nonne indignum, Thucydidem accusari a Cephisorum familia, loquace eo accusatore?" vel „Is het geen schande, dat mannen als Thucydides veroordeeld worden door dat Cephisos-volk, dien woordenrijken aanklager?"

Praeterea e pronomine indicativo (τῷδε) efficere licet, hominem in theatro spectantem vel digito monstratum esse. Mitto igitur rogare, satisne facetus et comici ingenio dignus esset huiusmodi iocus.

Idem autem prohibet, quominus sumamus, e duorum virorum nominibus confusum esse Cephisodemi illud nomen. Id vero si egisset Aristophanes, nonne eam alterius nominis addidisset partem, e qua homo ipse statim in memoriam revocaretur, nec vero inane affixum -δημος?

Adde quod nomen Κηφισόδημος in usu fuit: invenitur enim in scholio ad Aristoph. Av. v. 1294. Postremo si τῷδε τῷ Κηφισοφῶντι vera esset lectio, nonne mirandum esset, v. 710 Euathli unius mentionem fieri et eundem omnibus antepirrhematis versibus significari? Non enim verisimile est ob Scythicam originem utrumque simul derideri (v. 707 et 711) [1]). Verum si cum Hamakero legimus τῷδε τοῦ Κηφισοδήμου, haec omnia in antepirrhemate bene se habent.

Videamus autem, quid Hamakero obiecerit M. S. Locum non intellexisse eum dicit, quod in epirrhemate duorum accusatorum mentio facta sit.

At sumere necesse non est, ut mihi quidem videtur, et in epirrhemate et in antepirrhemate eandem Thucydidis litem descriptam esse. „In der ersten Hälfte Vers 676—692 (ait M. S. p. 330) spricht der Dichter im Allgemeinen

1) Atque utrumque λάλον fuisse, tum sumendum est: de Euathlo enim hoc narrat scholiasta ad v. 710. Praeterea dubito, num συνήγορος a populo unquam γραμματεὺς vocatus sit (v. 705).

seine Klagen aus, hat aber schon .... den ganz speciellen Fall im Auge, den u. s. w." Quae ultima verba vera non esse mihi videntur; neque unicum, quod ex Aristophane laudavit exemplum (Thesmoph. v. 830 sqq.), quidquam probat, cum ibi unum modo epirrhema extet, cui nullum antepirrhema respondeat.

Non igitur Thucydidis paupertas versu 691 significari mihi videtur, neque si v. 685 duo nominantur accusatores, ideo in antepirrhemate quoque duorum mentionem fieri necesse est.

Verbum addam de delatore Ctesia. Quem notum fuisse sycophantam, ex Acharn. v. 839 [1]) effecit M. S., ubi totum genus repraesentet.

Nulla tamen alibi hominis fit mentio, nisi fortasse lateat sub Marpsiae nomine (Ach. v. 701); quam lepidam Muelleri hypothesin esse nemo negabit, nam aptissime fingi poterat illud nomen ad hominem rapacem alienisque divitiis inhiantem indicandum.

Quod vero ad alterum nomen pertinet, quo item hunc Ctesiam designari putat M. S., dissentio. Nempe Vesp. v. 402 Χρήμων quidam occurrit et hunc quoque M. S. pro nostro delatore habet. At, opinor, nemo unquam eo nomine audito Ctesiae admoneri potuit. Neque hanc legem neglegere poterat Aristophanes, cuius mentionem fecit M. S. p. 326: „Solche Spitznamen, die den wirklichen Namen metrisch und rhythmisch so zu sagen decken," et p. 328: „Die Namen decken sich metrisch, worauf immer Gewicht zu legen ist bei Erklärung von Spitznamen". (cf. p. 533 quoque). Quanquam ipse M. S. priore certe loco sententiam suam diluit, his adscriptis verbis: „Freilich bindet er sich nicht daran," quae tamen melius, nisi fallor, delevisset, ob ipsum autem Chremonis nomen addidisse mihi videtur; nullum enim aliud exemplum affert et ne ipse

1) κἂν εἰςίῃ τις Κτησίας ἢ συκοφάντης ἄλλος.

quidem multum suae de hoc nomine suspicioni tribuisse videtur, quoniam paullo inferius Ctesonem quendam eo significari suspicatur [1]). Praeterea Ctesiam Marpsiam vocando comicus haud inficete vim nominis huius viri auxit; sed cur Chremonem vocaret, qui Ctesias esset? Parum enim prodest huiusmodi immutatio, nisi aut ridiculus fiat homo, aut vitium quoddam notum indicetur.

Vesparum autem versum M. S. non bene explicavisse mihi videtur. „Τοὺς τοῦ χόρου ἐξ ὀνόματος καλεῖ" ait scholiasta. Quod falsum esse obicit M. S., nempe praesentes vocari opus non esse et choreutarum nomina, quae v. 230 sqq. legimus, esse „von viel weniger individuellem Charakter" (p. 326); imo eos, quos Philocleon advocat, γραμματέας esse et delatores; ideoque chorum Cleonem, acerrimum omnium delatorem, statim arcessere. Hactenus M. S.

At choro auctore Philocleon, dum dormiunt custodes, fune se demittit; filius autem, strepitu audito, statim servos iubet, patrem e fuga retrahere, ἐσκαλαμᾶσθαι. Quid igitur magis e natura, quam Philocleonem, magno terrore perculsum, amicos praesentes sed auxilium, quod polliciti fuerant, non ferentes, ut se adiuvent, adhortari? Nec non dicto audiens statim ad pugnam se parat chorus: τί μέλλομεν κινεῖν ἐκείνην τὴν χολὴν κ. τ. ἑ. et praeterea Cleoni rem nuntiari iubet. Nomina autem choreutarum, id est de plebe senum, ex ipsa vita eorum quotidiana sunt desumpta, quod amat Aristophanes (cf. v. Leeuwen ad Acharn. v. 609). Σμικυθίων est is, cui tenuis est res, Τισιάδης aptum est nomen iudicis, qui οὐδὲν ἢ τιμᾶν βλέπει, Χρήμων autem et Φερέδειπνος vocantur, qui sibi suisque victum quotidianum ex iudiciis petere solent.

---

1) Hoc nomen in inscriptione anni 380 invenit; deinde Avium versu 1452 adhibito, lepidam quidem sed incertam confecit hypothesin, illum Ctesiam, qui in inscriptione commemoratur, nostri Ctesiae nepotem fuisse, Ctesonis autem (i. e. Chremonis Vesp. 402) filium (p. 327 sq.).

II.

De anno 418 (eiusdem libri p. 396—425) [1]).

„Qui huius anni res gestas in Thucydidis opere legit, is eodem modo movetur ac ille, qui, dum ipse in platea versatur, in domo aliqua saltantes homines videat, fidium tamen tibiarumque sonos per fenestras audire nequeat. Cantum intra adesse, nisi experientia eum doceret, homines eos insanire, sine dubio arbitraretur." Haec dixit M. S. p. 401; et propterea modos, ad quos in fabula Thucydidea saltatur, ipse ex ingenio suo reficere conatus est. Quae res quam bene ei cesserit, priusquam rogamus, ea, quae secundum historicum nostrum hoc anno facta sunt, paucis verbis referam.

Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους μεσοῦντος (i. e. anni 418 mense Julio) Lacedaemonii res in Peloponneso non bene se habere cum viderent et in peius mutatum iri, nisi προκαταλήψονται ἐν τάχει, in Argolidem expeditionem faciunt (V, 57). Quo audito Argivi, sociis convocatis, Methydrium iter faciunt, ut Agidem, quominus cum Corinthiis ad Phliunta se coniungat, pro-

1) Quanquam opinio mea de tamia mutata est, ut iam dixi, novo Aristotelis libro reperto, hoc tamen caput retinere malui, cum iisdem argumentis, quibus M. S. usus est, argumentationem eius refellere conatus essem. Luculentum autem Muelleri magni ingenii et simul imprudentiae specimen eius de hoc anno disputatio esse mihi videtur.

hibeant; sed postquam dolo praetervectus rex eos latuit, Nemeae viam occupant. Agis autem postquam ad Phliunta cum Corinthiis et Boeotis convenit, ipse longiore via in planitiem descendit et agros prope Saminthum vastat, cum Corinthios recta via progredi, Boeotos Nemeae viam ingredi iusserit (58). Interea agris vastandis Argivos ut Nemeam relinquerent pellexit, qui post leve proelium cum Corinthiis contra Spartanos aciem instruunt. Sed ἐν μέσῳ ἀπειλημμένοι erant neque, cum Athenienses nondum advenissent, equites iis aderant. Quam ob rem Thrasyllus et Alciphron, ignorantibus Argivorum magistratibus, Agidi persuadent, ut, indutiis quatuor mensium factis, infecta re redeat (59). Abiit Agis: quam ob causam valde vituperabatur; Argivi autem Thrasyllum vel condemnaverunt (60).

Tunc advenerunt Athenienses et cum ceteris sociis Orchomeno capta (nam Argivis ut indutias solverent persuadere non potuerant), contra Tegeam profecti sunt (61, 62). Quo audito Spartani eo magis irati, Agidem pecunia multant, qui tamen damnum restituturum se esse pollicitus, poenam deprecatus est (63). Et celerrime in Arcadiam profectus socios eo convocavit (64). Sequitur mox victoria ad Mantineam (—75), post quam, sociis dimissis, domum reverterunt Spartani, ut Carnea celebrarent. Argivorum autem socii Epidaurum vallo circumdare coeperunt, sed opus non ad finem perduxerunt; nam Heraeum modo castellum ab Atheniensibus munitum est (75).

Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος pacem fecerunt Spartani et Argivi et symmachiam (76—79). Athenienses autem Demosthene misso, qui copias domum reduceret, Heraeum deseruerunt (80).

Multa sane in hac narratione insunt, quae optimo iure miratus sit M. S.

Cur (rogat) si celeri auxilio opus esset, media demum aestate egressi sunt Lacedaemonii? Cur Atheniensium auxilia tam sero advenerunt? Quid dixit Thrasyllus ut

Agidi persuaderet? Quomodo Argivi ἀπειλημμένοι, hostem ipsi ἀπειλῆφέναι sibi videbantur? [1]). „Hic Corybantio quodam furore correptas esse personas Thucydideas dixeris" [2]).

At in Muelleri explicationem inquiramus; nam vereor ut ipsos, quos dicit, modos reperire ei contigerit.

Turbas Athenis actas omnium harum rerum causam fuisse contendit. Nempe Lenaeorum festo novos strategos electos esse, Alcibiadem tamen non iterum creatum esse [3]), etsi mos hic esset, eosdem iterum eligi strategos; quod cum hoc anno factum non sit (ita deinde argumentatur), inde effici potest, belli factionem superatam esse et e viris pacis studiosis novos strategos electos esse („Eine solche Nichtwiederwahl war aber in Athen sehr selten, und war für einen politischen Mann immer eine empfindliche Niederlage, nicht blos für ihn, sondern wenn er ein Parteiführer war, für seine ganze Partei, in diesem Falle also für die Kriegspartei überhaupt" p. 413).

Lacedaemonii autem, qui per annum 419, ne pacem violarent, summopere caverant, nunc quodlibet sibi licere putabant et κατὰ θάλασσαν Epidaurum auxilia miserunt (V, 56, 1), quod tam aegre tulerunt Argivi et Athenienses, ut Messenii Pylum reducti sint, Alcibiade auctore et in stela, Lacedaemonios iuraiuranda violasse, inscriptum sit; τὰ δ' ἄλλα ἡσύχαζον, quanquam ad maiora eos instigaverat Alcibiades. His duabus eius cladibus (quod non iterum electus erat et quod propositum suum de bello assequi non potuerat) adversarii inducti sunt, ut ostracismo virum turbulentum e civitate pellere conarentur.

Spartani autem, quibus ignota esse haec non possent, expectarunt, dum ostracismo diiudicatum esset, utrum

---

1) Thuc. V, 59, 4 τὸ μὲν οὖν πλῆθος τῶν Ἀργείων καὶ τῶν συμμάχων οὐχ οὕτω δεινὸν τὸ παρὸν ἐνόμιζον, ἀλλ' ἐν καλῷ ἐδόκει ἡ μάχη ἔσεσθαι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους ἀπειλῆφέναι ἐν τῇ αὑτῶν τε καὶ πρὸς τῇ πόλει.

2) „Hier ist der Wirbel des Tanzes auf der tollsten Höhe."

3) Diod. Sic. XII, 79; Thuc. V, 61, 2.

Nicias, an (quod probabilius) Alcibiades eiceretur. Hoc enim expulso, Pylo abductum iri Messenios, sperare poterant et firmam fore pacem: et propterea Atheniensium animos non irritare debebant, sed quieti manere.

Hyperbolo vero eiecto [1]) spe frustrati, celeriter egressi sunt Lacedaemonii.

Athenis igitur, ut necesse est, res valde turbatae erant; et credibile est, hanc ob causam tam sero auxilia inde in Peloponnesum advenisse.

Quid autem dixerunt duo Argivi, ut Agidi persuaderent, ne Argivorum exercitum ad internecionem caederet? „Athenis eundem mansisse rerum statum et eandem causam, ob quam ante ostracophoriam bello abstinuissent Spartani, etiam nunc extare; nunc tamiae electionem expectandam esse; Alcibiadis igitur factionem ne nunc quidem civibus eius vexatis corroborandam esse; neque haec ignorare Argivos, qui ideo hostem ἀπειληφέναι sibi videantur, quod, pugna facta, clades ipsis non magno futura sit damno, cum facile in urbem fugientes latere possint, Spartani tamen pace violata Atheniensium belli factionem auxerint."

Pulchra sane explicatio, eorum puerorum oblectamentorum similis, quae hydrogenio impleta, in coelum ferruntur et splendidos praebent colores, quae tamen, simulac unum minimum factum est foramen, humi iacent, membrana indigna, coloribus orba.

Ego autem multa in ea foramina facere possum. Ut breviter igitur Muelleri argumentationem repetam, tres in civitate Atheniensium res hoc anno observandae sunt: 1. strategorum electio, 2. ostracophoria, 3. tamiae electio.

1. „Alcibiades non iterum creatus est, factio igitur eius superata est."

---

1) Hoc anno pulsum esse Hyperbolum, non constat. Contendit autem M. S. scholium ad Arist. Vesp. v. 1007 similiter ad annum 418 ac ad annum 417 pertinere posse. Ibi legitur hoc: ἐξωστράκισαν τὸν Ὑπέρβολον ἕξ ἔτη, unde effecit Cobet, sexto anno post damnationem necatum eum esse.

At nonne fieri potuit, ut solus Alcibiades non eligeretur [1]), quippe qui anno 419 exercitui in Peloponneso praefuerit, nec vero multa effecerit [2]). At fac verum hoc esse, belli igitur factionem superatam esse, post Lenaea demum Lacedaemoniorum auxilia Epidaurum missa esse, veri dissimillimum est.

Nam postquam cap. 56, 1 id narravit Thucydides, ita pergit § 4: „τὸν δὲ χειμῶνα τοῦτον μάχη μὲν οὐδεμία ἐγένετο et § 5 novum Argivorum impetum refert (πρὸς ἔαρ ἤδη). Cur igitur non hic potius auxiliorum mentionem fecit, si hieme exeunte advenerunt?

Et aliud quid obstat. Ostracophoriam enim expectantes populum Atheniensem vexare noluerunt Spartani, ait M. S. At eodem Lenaeorum festo (aut sextae prytaniae initio) cotannis rogabantur Athenienses, foretne ostracophoria [3]). Inde a Lenaeis igitur de ostracophoria certiores facti a vexandis Atheniensibus abstinuerunt Spartani ex Muelleri hypothesi, neque post festum auxilia ea mittere potuerunt.

2. „Ostracismo pulso Hyperbolo, celeriter expeditionem paraverunt Spartani."

---

1) p. 505 haec legimus: „Ich sage die ganze Liste, denn es liegt zu sehr in der Natur solcher politischen Parteikämpfe, als dass es in Athen anders gewesen sein sollte — dass nämlich in einer Wahlbewegung jede der sich bekämpfenden Parteien eine vollständige Liste ihrer Candidaten aufstellt — mit der sie dann in der Regel ganz siegt oder ganz durchfällt," et p. 521 sq.: „Denn wenn auch die Partei...in Nikias einen entschiedenen Gegner gesehen hätte, ...so musste sie doch dessen Wiederwahl erwarten, wird sich derselben daher auch gar nicht opponirt haben." Nonne igitur anno 418 ceteris belli candidatis (vel nonnullis eorum) contenti esse potuerunt vel pacis studiosi, Alcibiades tamen ne iterum crearetur, operam dare summam? Nonne utraque factio partim eosdem candidatos habere poterat (ut Niciam); an absurdum est, strategum aliquem a neutra factione, qui iterum eligeretur dignum iudicatum esse?

2) „Fing dies und jenes an nach seiner Art, ohne irgend etwas zu Stande zu bringen" p. 399, Thuc. V, 52, 2.

3) Hoc effecit M.S. e loco in lexico Cantabrigiensi s. v. κυρία ἡ ἐκκλησία (M.S. p. 185 sqq.), Vid. Aristot. Ἀθην. Πολ. c. 43.

At ostracophoria octava demum fiebat prytania [1]), quae hoc anno fuit inde a 22° die Martii mensis usque ad finem Aprilis. Ita autem disputat M. S.: „cum populi deliberationes diu protractas esse sumere liceat et Hyperbolus quam plurimum se defenderit, necesse sit (neque auxilio orbus fuit), initio demum Maii („im ersten Drittel des Mai") Spartanis res innotuisse, credibile est. Qui non statim consilium capere potuerunt, cum Spartae quoque duae essent factiones. Praeterea convocandi erant socii. Non igitur ante mensem Junium („meinethalben [2]) auch genau auf dem 21 Junius d. h. auf 11 Skirophorion dieses Jahrs," addit p. 417) Spartanorum exercitus egredi potuit i. e. τοῦ θέρους μεσοῦντος."

At, quaero, si ita haec omnia facta essent, potuissetne dicere Thucydides, ἐν τάχει eos egisse? Si inde ab initio Aprilis (vel accuratius inde a fine Martii) usque ad medium Junium se paraverunt, etsi expectaverant ostracismi diem, ut post eum statim bellum inciperent? Praeterea nihil eorum quae dicit verum est; nam decem diebus post damnationem urbem relinquere debebat Hyperbolus, atque fac eum se defendisse, nonne statim post ostracophoriam Spartam nuntii mitti potuerunt, imo debuerunt? Ubi eadem hieme factio bellicosa victoriam reportaverat, auxilio Epidaurum misso. Neque opus erat, ut socios expectarent, Arcadum enim auxilia egressi sibi addere poterant (ut 64, 3), ceterae copiae mox se adiunxissent (ut 57, 2).

3. Postremo de iis, quae de tamiae electione Thrasyllum dixisse finxit M. S., hoc modo rogare volo: Potuitne

---

1) Dionysiorum Maiorum festo, i. e. 9° die Elaphebolionis, ex Muelleri hypothesi; quae si non recta est et Valetonii opinio praestat, impugnatio mea firmior etiam est. Huic enim viro docto ostracophoria ex lege habita esse videtur die proximi concilii, postquam accepta esset procheirotonia; hanc autem aut sexta aut septima prytania factam esse sumpsit (Mnemos. 1888, p. 1 sqq.).

2) τὸ „meinethalben" risum movet.

fieri, ut milites Argivi in certam perniciem [1]) incurrere vehementer cuperent (nam magnam fuisse pugnandi eorum cupidinem ex ira contra Thrasyllum apparet), tantummodo ut Athenienses, pacem violatam aegre ferentes, ex belli factione tamiam crearent? Et quorsum dixit Thucydides, Argivos inter se et urbem hostem inclusisse se, opinatos esse (ἐν τῇ αὐτῶν τε καὶ πρὸς τῇ πόλει)?

Neque explicavit M. S., cur Athenienses, cum venissent, Argivis ut symmachiam eam desererent persuadere non potuerint (61, 1).

Praeterea Muelleri de hoc anno hypothesis diluitur inscriptione eiusdem anni et ipsius de ea disputatione, quam dedit in Museo Rhenano (1878, p. 78 sqq.).

1. [αθεναιοι ανελοσαν επι αντιφοντος αρχοντος και επι τες βολες
2. [ιερον χρεματον τες αθεναιας πυθοδορος αλαιευς και συναρχοντες
3. [υς εγραμματευε παρεδοσαν ηελλενοταμιαις εργοκλει αριστειδο
4. [ιεροκλει αρχεστρατο αθμονει και χσυναρχοσι επι τες . . . .
5. [εραι και εικοστει τες πρυτανειας . . . . ηουτοι δε εδοσαν
6. [. . . . . αποδονα]ι τος
7. [τος παρεδρος τοις ταμιαις τες] θεο πυθ[οδοροι ηαλαιει και
8. [ναι τοις ηελλενοταμιαις κ]αι τοις παρεδ[ροις ηουτοι δε εδοσαν
9. κ α
10. [επι τες . . . . πρυτα]νειας δευτερας [πρυτανευσες ηελλενο

ταμιαις ερ[γοκλει αριστειδο

1) „Nachdem Thukydides die verzweifelte Lage des Argeiischen Heeres aufs Anschaulichste und Ueberzeugendste geschildert," p. 404.

11. [. . . . . αιχ]σονει και συναρχο[σι και παρεδροις Ηιεροκλει αρχε]στρατο αθμονει και συν[α]ρ
12. [χοσι τριακοστει Ηεμεραι] τες πρυτανειας π[αρεδομεν . . . . χρυσι]ο κυζικενο στατερας XXXX
13. αργυριον τουτον τουτο το χρυσιον παρεδομ
14. [εν τοις επι τας Ηοπλιταγ] ΟΛΟΣ τοις μετα δεμ[οσθενος ΦσεΦισαμενο το δεμο τεν] αδειαν σ

En inscriptio qualem e duobus fragmentis restituit Kirchhoff (C. I. A. 180).

Addam versus, quos alio modo supplevit M.S.

4. [ερεχθειδος προτες πρυτα]νευσες και Ηεμεραι δευτ
5. [εραι και τριακοστει τες πρυτανειας XXΠΔΔ διαπεμψαι στρα τεγοις τοις επ ειον]ος τοις μετα δεμοσθενος ε
6. [δοξε δε τει βολει και τοι δεμοι με πεμψαι το αργυριον δεμοσθενει αλλ αποδονα]ι τος Ηελλενοταμιας και
7. [τος παρεδρος τοις ταμιαις τες] θεο κ.τ.ἐ.
8. παρεδ[ροις και τουτος στρατεγοις ες τα επι θ]ρακες ευθυδεμοι ευδεμο
10. [επι τες ακαμαντιδος πρυτα]νειας κ.τ.ἐ.
12. [χοσιν Ηενδεκατει Ηεμεραι] τες κ.τ.ἐ.
14. [εν στρατευσομενοις ες αρ]γος κ.τ.ἐ.

Quoniam in hac inscriptione nulla pecunia commemoratur, quae Nicostrato et Lacheti [1]) soluta sit, ante huius inscriptionis tempus strategi ii in Peloponnesum missi sunt, i. e. ante Panathenaea, i. e. ante tamiae electionem.

Falsa igitur sunt ea, quae scripsit M.S. libri sui p. 409. „E Thucydide (ait) effici potest, pugnam ad Mantineam factam esse exeunte Carneo mense [2]), non multum post Atheniensium auxiliorum adventum. Verisimile igitur est,

1) Thuc. V, 61, 1.

2) „wie ich aus Cap. 76 schliesze, gegen Ende des Monats."

eiusdem mensis initio ea missa esse, auf jeden Fall nach der noch in Hekatombaion vorgenommenen Wahl des Staatsschatzmeisters." (cf. p. 425: „Nach vollzogener Wahl traf dann das Athenische Hülfscorps in Argos ein").

Neque fieri potest, ut post festum demum missi sint, nam secundae prytaniae undecimo die (inscr. v. 12). Demostheni pecunia soluta est, ut nova in Peloponnesum duceret auxilia, quod decreverunt Athenienses post cladem ad Mantineam. Inter Panathenaea autem et eum diem, i. e. intra 18 dies, haec omnia fieri non potuerunt: Nicostrati adventus et conatus ut Argivis persuaderet, Orchomeni expugnatio, consilium Tegeae aggrediendae et pugna ad Mantineam. Intra 18 dies, inquam, nam supplementum versus 12 a Muellero propositum ἐνδεκάτῃ, omnino recipiendum esse censeo, quia pugna ad Mantineam initio Carnei mensis facta esse mihi videtur. Praeterea certa argumentatione (literis scilicet enumeratis) ostendit M.S., Kirchhoffii supplementum v. 5 δευτ[έρᾳ καὶ εἰκ]ὶστῃ τῆς πρυτανείας] (secundae scilicet, nam primae prytaniae die vicesimo secundo, i. e. ante Panathenaea, novi Minervae quaestores magistratum nondum inierant) rectum esse non posse [1]); tricesimum secundum igitur diem legendum esse (primae prytaniae). Kirchhoff autem v. 12 nonnisi tricesimum diem supplere poterat, cum pensio v. 5 secundae prytaniae die vicesimo secundo facta esse ei videretur. Sed postquam M.S. versum 5 melius supplevit, licet v. 12 aut tricesimum aut undecimum addere diem.

De pugnae autem ad Mantineam tempore apud Thucydidem haec legimus V, 75, 2: post proelium socios suos dimisisse Lacedaemonios et ipsos domum reversos (Κάρνεια γὰρ αὐτοῖς ἐτύγχανον ὄντα), festum celebravisse. Deinde narrat (c. 76), initio hiemis egressos esse Lacedaemonios, ἐπειδὴ τὰ Κάρνεια ἤγαγον. E quibus verbis, in fine mensis pugnam

1) Si enim secunda prytania v. 5 additur, tribus nomini non idem spatium relinquitur atque v. 10, quanquam ibi idem nomen requiritur.

factam esse, efficit M.S., vel potius, festi celebrationem distulisse Lacedaemonios (ut postea Gymnopaedia).

„Patet enim (ait in Museo Rhenano), fieri non potuisse, ut post pugnam, cum omnes hostes denuo convenissent, Elei denuo se adiunxissent, nova Atheniensium auxilia advenissent, quieti festum suum agerent Lacedaemonii. Imo statim post victoriam celebrare coeperunt, deinde de periculo certiores facti distulerint necesse est, dum Epidaurum munientes hostes viderent." Ita rem explicat M.S.

At prorsus non intellego, quomodo inde efficiat, in fine mensis pugnam factam esse. Neque de festo dilato assentiri ei possum, cum nihil tale dicat Thucydides, sed simplicibus verbis rem narret. Neque, puto, M.S. id suspicatus esset, nisi 76, 1 ea verba (*ἐπειδὴ — ἤγαγον*) invenisset; quae tamen Krueger iure delevit; nam sine ullo dubio, si ea scripsisset Thucydides, addidisset: „quae distulerant." Atque si ante proelium fere totus mensis praeteriisset, ante Spartanorum reditum (75, 2) festi dilati mentionem fecisset, opinor. Postremo non intellego, quomodo sociorum exercitus, si Spartani festo dilato egressi sunt, non modo non pugnaverint, sed statim postquam convenerunt, Epidaurum abierint [1]).

Et ipse M.S., cum in inscriptione v. 12 tricesimo diei undecimum praetulerit, hypothesin suam de pugnae tempore abicere debuit.

Classen Muellerum impugnavit et quod inde viri ingenium optime cognosci potest, de iis, quae obiecit, pauca dicam.

Est enim vir magnae doctrinae, qui permultas res legerit et memoria teneat; sed quod ad mentem sanam Muellero multo inferior est. Ad illud genus virorum doctorum pertinere mihi videtur, quibus moris est simplicissimas res, sententias perspicuas, anacolutha haudquaquam obscura

---

1) Thuc. V, 75, 5 *ἐστράτευσαν εὐθὺς ἐπ' Ἐπίδαυρον, ἕως οἱ Λακεδαιμόνιοι Κάρνεια ἦγον.*

tam verbosis explicationibus, tam doctis et subtilibus interpretationibus circumdare, ut eorum annotationes saepe intellectu sint aliquanto difficiliores quam ipsa scriptoris verba.

Hunc autem in modum res explicat Classen V, p. 13 sqq.: „Odium" ait „inter Athenas et Spartam impetus in Epidaurum factus [1]) etiam auxerat, sed, ut fit, uterque aggredi verebatur: Spartani exercitum non conscripserunt, antequam Argivorum actionibus hegemoniam suam debilitatam esse, intellexerunt." Quid? nonne hegemoniam eam iam perdiderant, cum dimidia Peloponnesi pars defecisset et inter se vel cum Atheniensibus societatem coniunxissent, cum a ludis Olympiacis prohibiti essent? Et unde tunc repente periculum cognoverunt? — „Argivi autem expectare voluerunt, dum hostes ad Phliunta convenissent," id quod non ex asse verum est: nam ut id prohiberent, Agidi obviam iverant. Sed cur tamdiu expectare voluerunt? Ullamne Classen dedit causam? — „Neque mirandum est, Atheniensium copias non statim adfuisse." Imo summopere mirandum est, non ante mensem Julium copias missas esse. — „Qui simulac pugnam fore audiverunt [2]), auxilia pauca miserunt." Cur pauca? Cur tunc demum? Nonne iam anno 419 Alcibiades cum exercitu in Peloponneso adfuerat? Cur non misere, cum Lacedaemoniorum quoque socios conscribi audirent? Cur soli post ceteros Argivorum socios advenerunt? Nihil explicavit Classen et miror talia scribere potuisse virum doctum.

De Argivorum autem insania, qui hostem ἀπειλημμένον sibi viderentur, idem dixit Classen, quod Grote; hic pugnam eos cupivisse dicit, „thinking only of the division of Agis immediately in their front .... and taking no heed to the other formidable enemies in their flank and rear" [3]).

---

1) „der fast gelungene [?] Sturmangriff."
2) „sobald sie von der bevorstehenden Entscheidung Kunde erhalten."
3) VII, p. 99.

Quid est hoc? Taking no heed? Voluitne dicere Grote, ignorasse Argivos, quantae Corinthiorum Boeotiorumque sibi instarent copiae? Nam neglegere hostes a latere et a tergo imminentes quomodo quisquam potest? At non minus absurdum est fingere, latuisse eos Corinthiorum exercitum, quocum iam dimicavissent. Boeoti fortasse latere potuerunt.

Ergo manet, ut mihi videtur, haec quoque difficultas et totius anni descriptio suum musicum, qui „modos" illos, quos M. S. desiderabat, conficiat, etiamnunc desiderat; nam ipsum non aptos composuisse, nullos vero Classenium, ostendi.

E Thucydidis horum temporum descriptione novam de eo scriptore opinionem effecit M. S. (p. 425—483).

In historico enim „omnium temporum optimo" multa vitia deprehendit, e quibus non deum eum fuisse ostendit sed hominem, nec vero hominem perfectum sed quinti a. Chr. n. saeculi Graecum; magnas autem laudes illas, quibus posteri alius alium imitatus hunc virum cumularunt, nonnisi verba esse inania.

Opinio, qua olim omnes scriptores Graeci et Romani admiratione digni esse, nihil non pulchre ac vere dixisse credebantur, quod ad maiorem eorum numerum hodie reiecta est; de Thucydide quoque eam stare non posse, Muelleri scripta qui perlegit, intelleget.

Neque id vidit tantummodo M. S., sed etiam profiteri ausus est: „Thukydides ist ja kein mann der sogenannten schönen litteratur." (Fleckeis. 1886, p. 611).

Ostendit autem M. S., ea, quae Thucydides de tempore τῆς ὑπούλου εἰρήνης scripsit, intellegi non posse, sed saepissime hypotheses excogitandas esse, ut explicetur opus, de quo extent tot sonantia verba, quae editores alius alium secuti scripserint:

Niebuhr: „Der Peloponnesische Krieg ist der unsterblichste aller Kriege, weil er den grössten Geschichtschrei-

ber gefunden von allen, die je gelebt. Thukydides hat das Höchste erreicht, was in der Geschichtschreibung möglich ist u. s. w."

O. Müller: „Wir dürfen fragen, ob es irgend eine Periode der Geschichte des Menschengeschlechts gibt, die mit einer solchen Klarheit vor unsern Augen steht, als die ersten einundzwanzig Jahre des Peloponnesischen Krieges, durch das Werk des Thukydides."

Equidem non in omnia, quae de quinto Thucydidis libro scripsit M. S., inquiram, licet de multis non assentiar, sed paucas modo tangam hypotheses.

Ex inscriptione, quam supra dedi, effecit M.S., anno 418 Demosthenem fortasse strategum fuisse in Thracia, hoc autem certum esse, eum nova Atheniensium auxilia in Peloponnesum duxisse. Obiecit Classen, prae nimio gaudio oblitum esse Muellerum, hanc argumentationem Boeckhii supplementis niti, nec vero inscriptionis parte integra et alia ratione lacunas explevisse Kirchhoffium.

Iure, sed Classenio disputatio quoque Muelleri, quae in Museo Rhenano legitur, nota est, neque igitur ignorare potest, ostendisse Muellerum e temporis ratione, errasse Kirchhoffium [1]); id, quod praeterea ex inscriptione ipsa patet, nam in v. 14 ante γος dimidium literae P aut B superest, nec vero literae O [2]).

Verum ex pulcherrima hac Muelleri disputatione haec tantum attulit Classen [3]): „Ich hebe aus derselben nur hervor, dass er constatirt, ‚dass Boeckhs Ergänzung der Zeile 14 hinfällig geworden ist', d.h. dass ein thrakischer Feldzug des Demosthenes im J. 418 nicht stattgefunden hat."

---

1) Ostendit M.S., tunc temporis nondum munitum fuisse Heraeum, neque igitur ὁπλιταγωγοὺς mittere potuisse Athenienses, quae castelli praesidium domum reducerent.

2) cf. Lollingii epistulam apud Muellerum in Museo Rhenano.

3) V, p. 19 in annotatione.

Haec verba indigna iudico viro grandaevo, doctissimo, de Thucydide ipsisque literis Graecis optime merito. Nollem ei excidissent, nam cum veritatis ea reverentia, quam ingenuae artes prae ceteris docere creduntur, conciliari quomodo possint non video. Cur non alia quoque ex disputatione illa laudavit, quae ipsius annotationes prorsus evertunt? At capitis quoque cani reverentia fuit quondam, necdum in desuetudinem abiit: quapropter nihil de hac re addam.

„Demosthenes anno 418 in Thraciam expeditionem non fecit." Verum dicit Classen. Sed et per annos praecedentes aliquot et hoc ipso anno ibi fuit ex eiusdem Muelleri hypothesi, quam legit Classen in Museo Rhenano.

Et Classen ipse dubitat, incertus est; quod ex iis, quae in annotatione ad p. 18 scripsit, efficere posse mihi videor: „Nach der genauen Untersuchung von Dr. Lolling lautet die letzte Sylbe -λος mit einem undeutlichem Buchstabenrest davor, vielleicht von B oder P. Es sind daher die bisherigen Ergänzungsversuche alle unsicher." — Nonne laetantis haec sunt et veluti dis gratias agentis, quod opinio illa vehementer concussa nec amplius satis firma, non tamen sibi sit mutanda? „Nihil certum est, scimus nihil."

Id tamen scire poterat, male se legisse inscriptionem, cum in versu 14 literas λος superesse diceret, nam ut verbis utar U Koehleri, zur Gesch. d. Del. Att. Bundes in annotatione ad p. 4, „Gamma hat in den Tributlisten überall die gewöhnliche Form mit bis zur Basis herabgezogenem rechten Schenkel (Λ). Die in Drucken vielfach angewandte Form mit kürzerem rechten Schenkel (ʌ) kommt in Attischen Inschriften meines Wissens überhaupt nicht vor"[1]).

---

1) Nihilominus supplementum versus 5 a Muellero propositum reiciendum esse videtur. Annotavit enim Dittenberger (Sylloge 36), cum sermonis usu pugnare verba. Quod si verum est, Demosthenis strategia in Thracia omni

Sed ad Muellerum redeo, quem, quod ex Plutarchi verbis [1]) effecit, Ol. 90, 4 re vera in Thraciam profectum esse Niciam, nimis temerarium fuisse iudico. Nam huius loci quam protulit explicationem, ea nimis quaesita mihi videtur. Perdiccam in Thracia metuisse dicitur: at hinc non sequitur, ipsum igitur Niciam in Thracia adfuisse, cum metueret Perdiccam; etiam Pyli Lacedaemonios metuisse a Plutarcho dicitur, nunquam tamen Pyli fuit, ut novimus omnes. Itaque Plutarchi verba rhetorum modo aucta non minus apta sunt, si Athenis etiam cum esset, a navigando destitit. Vocabula *βῆμα*, *Πύλος*, *Θράκη* cum Alcibiade, Lacedaemoniis, Perdicca artius iungi voluit scriptor, licet fieri id non sinant eius verba, si ad leges grammaticae accurate exigantur. Praeterea iure observavit Classen V, p. 20, e verbo *παρασκευασαμένων* (Thuc. V, 83, 4) patere, Niciam in Thraciam profectum non esse.

Quae deinde de coniuratione, quam Argis factam esse legimus, suspicatus est M.S., Thucydidis verba „*τηρήσαντες τὰς γυμνοπαιδίας*" (V, 82) rei explicationem fuisse ab optimatibus prolatam, in Pausaniae [2]) tamen narratione veritatem traditam esse, ea sagacissima et lepidissima est hypothesis, quae tamen num recta sit, valde incertum est. Sed, quod Classen obiecit, e Pausaniae verbis non sequi, statim post scelus illud factam esse pugnam, id verum non esse mihi videtur. Narrat enim Pausanias, puellam supplicem ad demum confugisse, *οὐ προεμένων δὲ αὐτὴν τιμωρήσασθαι τοῖς χιλίοις καὶ ἀπὸ τούτου* (i. e. eam ob causam) *προαχθέντων ἐς μάχην ἀμφοτέρων κ. τ. λ.*

---

fundamento caret. Cetera tamen supplementa a Muellero proposita fere omnia recepit vir ille doctus, nisi quod nonnulla utpote contra sermonis usum paullum mutavit.

1) Compar. Nic. c. Crass. 2. *καὶ δέδιας Ἀλκιβιάδην μὲν ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐν δὲ Πύλῳ Λακεδαιμονίους, Περδίκκαν δ' ἐν Θράκῃ*. Cf. M.S. p. 459 sqq.

2) II, 20, 1.

At nonne fieri potuit, ut gymnopaedia expectare vellent coniurati, stuprum vero forte fortuna eodem fere tempore liberae virgini illatum eos eo magis incitaret? Hanc igitur causam si sciens praetermisit Thucydides, id vitio ei vertere nolim. Gravior ei inhaeret culpa ob res in Thracia gestas silentio pressas.

III.

De strategorum electionis tempore (eiusdem libri p. 484—564).

De hac quaestione duae extant opiniones sibi oppositae; secundum alios enim hieme strategos creare solebant Athenienses, alii aestate, sub novi anni initium, id factum esse ponunt.

E Thucydide autem ostendere conatus est M.S., hieme factas esse electiones, ex Aristophane deinde mensem quoque constituit; nam qui de hieme consentiunt, de mense discordant; von Leutsch Posideonem, Wex Elaphebolionem, Koehler Munychionem praefert (vid. p. 484).

Thucydidis autem locus legitur in fine tertii libri, ubi narrantur ea, quae fecit Demosthenes in Aetolia.

Nempe aestate anni 426 Athenienses duas classes miserunt (vide Thuc. III, 91), quarum altera duce Nicia Melum profecta est, altera, cui praepositi erant Demosthenes et Procles, Peloponnesi oram legit. Ergo — sic recte argumentatur M.S. — secundum eos, qui electiones aestate factas esse contendunt, Demosthenes aut, si ante mensem Hecatombaeonem enavigavit, iterum strategus eligi debuit, aut, si post electiones profectae sunt naves, nuper creatus erat. Utrumvis igitur sumas, usque ad sequentis anni mensem Hecatombaeonem hoc munere fungi debuit. Quodsi

igitur ostendi potuerit, Demosthenem neque usque ad finem huius anni strategum fuisse neque interim ei abrogatum esse magistratum, iudicata erit res, patebit enim τὰς ἀρχαιρεσίας aestate habitas non esse.

Demosthenes autem, insula Leucade vastata, in Aetoliam fecit expeditionem, sed ad Aegitium exercitus eius profligatus est et cives centum viginti ceciderunt (c. 97 sq.). Naupactum igitur redierunt eius copiae et inde Athenas; sed ipse Atheniensium metu in Naupacti vicinia [1]) remansit, fortasse sperans, fore ut cladem acceptam mox diluere posset.

Περὶ τὸ φθινόπωρον autem Eurylochus Spartanus cum exercitu Aetolis auxilio venit (c. 100) et contra Naupactum expeditionem fecit. Hanc ob rem Acarnanes, quibus persuasisset Demosthenes, ut secum urbem defenderent, armatos mille miserunt [2]); quos cum advenisse cognovisset Eurylochus, relicta Naupacto ad Ambraciotas profectus est, qui impetum in Argos Amphilochicum in animo haberent; καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα (c. 102).

Sequenti autem hieme Ambraciotae Olpas occupant et Argivis auxilio veniunt Acarnanes, Demosthene arcessito (c. 105). Nec multo post Eurylochi exercitus ad Olpas profligatus est, Ambraciotae autem, qui, socios suos victos ignorantes, πανδημὶ advenerunt, fusi et maiore ex parte necati sunt (c. 112).

---

1) περὶ Ναύπακτον καὶ τὰ χώρια ταῦτα.

2) c. 102, 4: καὶ πέμπουσι μετ' αὐτοῦ ἐπὶ τῶν νεῶν χιλίους ὁπλίτας. Quas naves non fuisse Athenienses, iure contendit M.S., id enim Thucydidem additurum fuisse. Classen autem ipsorum Acarnanum eas fuisse, arbitratur; cui obicit M.S., nullam usquam Acarnanum navium fieri mentionem, ob additum autem articulum intellegi classem ante commemoratam; quam ob rem Corcyraeorum triremes illas quindecim significari suspicatur. At hae iam abierant (c. 95, 2), neque articulo eo indicari poterant, sed nomen adscribere debuisset auctor. Aut igitur, opinor, corrupta sunt verba et pro τῶν nomen proprium legendum est vel τινων, aut (quod verisimilius) Acarnanum naves sunt intellegendae et articulus pronominis possessivi, ut assolet, habet vim. Quid autem obstat, quominus Acarnanibus naves onerarias fuisse credamus?

Nunc ante omnia efficiendum est, imperium post cladem ad Aegitium acceptam Demostheni abrogatum sit, necne. Legimus in cap. 107, Demosthenem duxisse sexaginta sagittarios Athenienses et ducentos hoplitas Messenios. „Ducebat cives Athenienses," ait M.S., „ergo strategia abrogata ei non erat. Et quomodo Demostbeni τῷ ἡγεμόνι τοῦ παντὸς ξυμμαχικοῦ parere poterant strategi Athenienses (c. 107, 1, 2), nisi ipse quoque strategus esset?" Deinde tertium petivit M.S. argumentum e verbis, quae leguntur Thuc. IV, 2, 4: Δημοσθένει δ' ὄντι ἰδιώτῃ μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τὴν ἐξ Ἀκαρνανίας. Nempe, si post cladem ad Aegitium acceptam imperium ei abrogatum fuisset, scripsisset Thucydides: ὄντι ἰδιώτῃ μετὰ τὴν συμφορὰν τὴν ἐν Αἰτωλίᾳ vel ignominiae ipsius mentionem fecisset.

Opponam autem causas et locos, quibus adducor, ut censeam, abrogatam Demostheni esse strategiam. Cap. 102, 3 Δημοσθένης ὁ Ἀθηναῖος (ἔτι γὰρ ἐτύγχανεν ὢν μετὰ τὰ ἐκ τῆς Αἰτωλίας περὶ Ναύπακτον) dicitur persuasisse Acarnanibus, ut auxilio venirent Naupacto. Quod si strategus fecit Demosthenes, non privatus, cur hoc non addidit Thucydides? In cap. 105, 3 autem haec scripta sunt: πέμπουσι δὲ καὶ ἐπὶ Δημοσθένη, τὸν ἐς τὴν Αἰτωλίαν Ἀθηναίων στρατηγήσαντα, ὅπως σφίσιν ἡγεμὼν γίγνηται, καὶ ἐπὶ τὰς εἴκοσι ναῦς Ἀθηναίων κ. τ. ἑ. „Ad Demosthenem, qui in Aetolia strategus f u e r a t et ad Atheniensium classem vicinam." Nonne totidem fere verbis hic dicitur, tunc non amplius strategum eum fuisse? Nonne aperte seiungitur ab Atheniensium classe, quae ad Peloponnesi oram in statione erat huiusque ducibus Aristotele, Timocrate, Hierophonte? Et quid est strategus sine exercitu? Et cur omnes naves suas omnesque copias dimiserat? Cur non post cladem eum revocaverunt Athenienses et alio miserunt, ut famam repararet, aut domi retinuerunt, si punire mallent? Cur non exeunte anno redire iussus est, ut magistratus rationes redderet?

In Aristotelis libro de civitate Atheniensi haec de stra-

tegis lego (c. 61): ἐπιχειροτονία δ' αὐτῶν ἐστὶ κατὰ τὴν πρυτανείαν ἑκάστην, εἰ δοκοῦσιν καλῶς ἄρχειν· κἂν τινα ἀποχειροτονήσωσιν, κρίνουσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, κἂν μὲν ἁλῷ, τιμῶσιν ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι, ἂν δ' ἀποφύγῃ τὰ λοιπὰ ἄρχει. Si igitur Demosthenem post cladem non ἀποκεχειροτονήκασιν Athenienses, aut iudicio absolverunt, τὰ λοιπὰ ἄρχειν debuit, neque sine copiis, ubicunque volebat, otio frui potuit.

Ad eas igitur quaestiones (vid. p. 29) cum respondere nequeam, si admittenda sit Muelleri hypothesis, Demosthenem post cladem in Aetolia acceptam hominem privatum fuisse arbitror: neque, quominus hoc sumamus, obstat id, quod dicit M.S., strategos et cives Athenienses ei paruisse. Nam Acarnanum quidem copiarum ἡγεμὼν fuit, sed una cum Acarnanum ducibus (μετὰ τῶν σφετέρων στρατηγῶν c. 107, 2); Athenienses autem strategi tantummodo ἐκ θαλάσσης ἐβοήθουν (c. 107, 2), ut amicos oppressos servare possent: — sponte id fecerunt, opinor, nec vero Acarnanum Demosthenisve iussu. Quod autem ad sagittarios eos attinet, Classen suspicatur, hos aut sponte sua cum Demosthene remansisse aut Naupacti praesidii partem fuisse. „Neutrum probabiliter," respondet M.S. „nam Naupacti praesidii nulla fit mentio, ubi Thucydides refert, Eurylochum in illam urbem impetum parasse; si vero fuisset illic Atheniensium aliquod praesidium, non ex velitibus profecto id fuisset compositum, sed ex gravis armaturae militibus." „Demosthenes autem Naupacti remanserat Atheniensium metu, also nach Thukydides wenigstens aus einem rein persönlichen Grunde" (p. 493). Hanc tamen causam obstare, quominus credibile videatur, milites aliquot ducem amatum deserere noluisse, non multi concedent Muellero S. [1]).

At fac sagittarios illos sexaginta fuisse ἐπιβάτας classis,

---

1) Non melioris notae esse mihi videtur aliud Muelleri argumentum: inde, quod Demosthenis panhopliae Athenis in templis suspensae sint, apparere, eam praedam sibi comparasse Atheniensium strategum, nec vero ducem Acarnanum.

quae ad Naupactum in statione erat, quae Muelleri est opinio, nonne vel ἰδιώτης, Demosthenes a strategis Atheniensibus eos petere potuit? [1]) Id unum concedo, tertium, quem M.S. excitavit locum IV, 2: Δημοσθένει δ' ὄντι ἰδιώτῃ μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τὴν ἐξ Ἀκαρνανίας, vix posse ita explicari, ut cum ceteris congruat [2]). Attamen quae supra attuli argumenta nimii momenti esse mihi videntur, quam ut uno hoc loco dilui possint. Spuriane sunt verba? [3])

Quidquid id est, hoc certe ostendisse mihi videor, haudquaquam constare, Demostheni strategiam non esse abrogatam.

Nunc videamus ceteram Muelleri argumentationem. Quoniam (ait) Demostheni magistratus abrogatus non est et tamen vere anni 425 ἰδιώτην eum fuisse, e Thuc. IV, 2 colligitur, apparet, eum non iterum electum esse, cum victoriarum eius nuntius post electiones demum Athenas pervenisset.

Sagax haec est observatio; ergo si Muelleri de strategia Demostheni non abrogata hypothesis rata est, hieme electiones factas esse, certis argumentis ostendit, nam hieme victorias eas reportavit Demosthenes; at quam incerta sit illa hypothesis, modo vidimus, argumento igitur esse nequit.

Neque ad hypothesin de Hecatombaeone diluendam fingere licet, Demostheni strategiam extraordinariam fuisse mandatam.

Veri dissimile esse contendit M. S., Demosthenem, cui tantum devincti animi testimonium dedissent cives, cum

---

1) Messenios quoque a strategis Atheniensibus eum accepisse, credibile est. Nam navium in sinu Corinthiaco dux Naupacti quoque praefectus erat, Phormio (II, 90), Nicostratus (III, 75), Demosthenes (III, 95).

2) Quod Diodorus (XII, 60) strategum eum nominavit, hoc non magni, puto, est ponderis.

3) Fortasse tamen genuina sunt verba, quae hoc modo vertere possumus: „Demostheni, qui post reditum ex Acarnania Athenis privatam degebat vitam cet." At tum Muelleri hypothesi non amplius argumento sunt.

ἰδιώτην eum strategis adiungerent [1]), mox Hecatombaeone mense nova electione creatum non esse. Optimo iure! Attamen, ait, multo post primum eius mensis diem hominem privatum eum deprehendimus, quippe qui Cleone rogante strategus extraordinarius nominatus sit (Thuc. IV, 29, 1); quod post mensis Hecatombaeonis initium factum esse effecit e verbis, quae leguntur IV, 27, 1: καὶ ἐδέδισαν, μὴ σφῶν χειμὼν τὴν φυλακὴν ἐπιλάβοι.

At reputemus, quae sit temporum ratio. Πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι (IV, 2, 1, cf. 6, 1), i. e. circa mensis Aprilis finem, Lacedaemoniorum invasio facta est, qui 15 modo dies in Attica manserunt cum alias ob causas tum quod Pylum occupaverat Demosthenes. Postquam autem domum reverterunt Spartani, statim Pylum profecti, per tres dies incassum oppugnaverunt Atheniensium castellum, quarto die horum classe vincuntur (IV, 12—14). Post hanc pugnam navalem per dies duas et septuaginta Sphacteriam obsederunt Athenienses (IV, 39). Si igitur 25° die mensis Aprilis Spartani Atticam invaserunt et 10° die Maii mensis illam regionem reliquerunt, fere decem diebus post Pylum advenire potuerunt, i. e. 20° die Maii; sequitur pugna navalis 24° die, post quam per 72 dies insula obsessa est. Cum autem per 20 fere ultimas dies Cleon dux fuerit [2]), sumere possumus, die fere 54° post pugnam Athenis habita esse comitia, quibus praetor extraordinarius creatus est Cleon (Thuc. IV, 29), id est 17° die Iulii. Annus autem Ol. 88, 4 25° demum Julii mensis die initium cepit. Nondum igitur magistratum inierant novi strategi.

Hac cum computatione congruunt Grotei verba (VI p. 485): „The capture of Sphakteria took place about Juli 425".

Nec vero IV, 27, 1 legitur, ne mox hiems ipsos op-

---

1) Thuc. IV, 2, 4.

2) „Intra dies viginti" Cleon, ut pollicitus fuerat, Athenas captivos duxit Lacedaemonios (Thuc. IV, 39).

primeret, metuisse Athenienses [1]): id tantummodo metuerunt, cum per fere duos menses nihil profecissent, ne per totam aestatem producerent obsidionem Spartani, deinde autem ob hiemem sibi desistendum foret (cf. IV, 26 sq.).

Praeterea post Sphacteriam expugnatam ad novam expeditionem egressi sunt Athenienses, quod hieme imminente eos fecisse, veri dissimile est (IV, 42).

Postremo e IV, 29, 1 sequi mihi non videtur, Demosthenem strategum extraordinarium electum esse; ex his verbis nihil effici potest, nisi hoc, Demosthenem unum e ducibus, qui ad Pylum erant, a Cleone stratego extraordinario in sua consilia esse adscitum.

Quid igitur? Oppugnone Muellerum, hieme electiones factas esse, contendentem? Minime: omnino ei assentior, sed non ob argumenta e Thucydide petita, quae parum firma esse demonstrasse mihi videor, sed propter ea, quae suadet ratio et sensus communis.

Hieme enim strategi aut omnes aut plerique domi erant, media aestate procul abesse solebant. Nonne igitur fere semper iterum eligi debuissent? Nonne saepissime rationes reddi non potuissent? An medio e bello duces revocavissent Athenienses, ut alios eorum consilia ignorantes, belli conditionis ignaros, in eorum locum mitterent? Quid? In Siciliamne missi essent Eurymedon et Sophocles (IV, 2, 2), si tribus mensibus post novi strategi eligendi fuissent? Quos στρατηγοὺς τοὺς ὑπολοίπους vocat Thucydides. Omnes igitur iam aberant: omnes iterum eligendi fuissent!

Quod autem obiecit Boeckh (ap. M.S. p. 486), „ein lange prämeditirter Feldzugsplan sei bei den engen Raumverhältnissen der Griechischen Kriegsführung so selten vorgekommen, dass man in der Staatsverfassung darauf keine Rücksicht genommen haben werde", id optime refutavit Hermann (ibidem): „Haec quidem eiusmodi defensio est,

1) „Der Winter werde ihnen bald die Fortsetzung der Blockade von Sphakteria unmöglich machen." (p. 497).

ut Athenienses magnae imprudentiae reos facere videatur." Praeterea, opinor, et bellum Persicum et in Aegypto et insularum obsidiones saepe difficiles et longas Athenienses, pessimum talem esse morem, docuisse necesse est.

Muelleri autem hypothesi facillime explicari potest Pythodori strategia, qui adventante vere (*τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος*) in Siciliam abiit praetor recens creatus (Thuc. III, 115). Multo quidem meliorem interpretationem dedit M. S. [1]) quam Boeckh, qui ad strategiam extraordinariam refugit.

Si vero sub finem anni, mense puta Scirophorione, electiones habitas esse statuimus, nonne summopere mirandum est, Thucydidem, cum Niciam magistratum deposuisse narraret (IV, 28), non addidisse, paucissimos tantum dies ei tunc in magistratu superfuisse?

Cum igitur hieme vel vere electiones factas esse, cum Muellero persuasum habeam, nunc videndum est, an ipse mensis possit effici. Quem ex Arist. Acharn. v. 593—619 repperisse sibi videtur — iniuria, ut ostendere conabor.

Lam. *ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν στρατηγὸν πτωχὸς ὤν;* 593
Dic. *ἐγὼ γάρ εἰμι πτωχός; — ἀλλὰ τίς γὰρ εἶ;*
— *ὅστις; πολίτης χρηστὸς, οὐ σπουδαρχίδης,* 595
ἀλλ' ἐξ ὅτου περ ὁ πόλεμος στρατωνίδης,
σὺ δ' ἐξ ὅτου περ ὁ πόλεμος μισθαρνίδης.
— *ἐχειροτόνησαν γάρ με. — κόκκυγές γε τρεῖς.*
ταῦτ' οὖν ἐγὼ βδελυττόμενος ἐσπεισάμην,
ὁρῶν πολιοὺς μὲν ἄνδρας ἐν ταῖς τάξεσιν, 600
νεανίας δ' οἷος σὺ διαδεδρακότας
τοὺς μὲν ἐπὶ Θρᾴκης μισθοφοροῦντας τρεῖς δραχμὰς,
Τισαμενοφαινίππους, Πανουργιπταρχίδας·
ἑτέρους δὲ παρὰ Χάρητι, τοὺς δ' ἐν Χαόσιν
Γερητοθεοδώρους, Διομειαλαζόνας, 605
τοὺς δ' ἐν Καμαρίνῃ κἀν Γέλᾳ κἀν Καταγέλᾳ.
— *ἐχειροτονήθησαν γάρ. — αἴτιον δὲ τί*

1) In annotatione ad p. 498.

ὑμᾶς μὲν ἀεὶ μισθοφορεῖν ἀμηγέπη,
τωνδὶ δὲ μήδεν'; ἐτεὸν ὦ Μαριλάδη;
ἤδη πεπρέσβευκας σὺ πολιὸς ὤν; ἐνὶ,
ἀνένευσε· καίτοι γ' ἐστὶ σώφρων καὐργάτης.
τί δαὶ Δράκυλλος κεὐφορίδης ἢ Πρινίδης;
οἶδέν τις ὑμῶν τἀκβάταν' ἢ τοὺς Χαόνας;
οὔ φασιν. ἀλλ' ὁ Κοισύρας καὶ Λάμαχος,
οἷς ὑπ' ἐράνου τε καὶ χρεῶν πρώην ποτὲ
ὥσπερ ἀπόνιπτρον ἐκχέοντες ἐσπέρας,
ἅπαντες ἐξίστω παρήνουν οἱ φίλοι.
— ὦ δημοκρατία, ταῦτα δῆτ' ἀνασχετά;
— οὐ δῆτ', ἐὰν μὴ μισθοφορῇ γε Λάμαχος.

Hos versus summa festinatione ultimis ante fabulam doctam diebus addidisse Aristophanem, propter strategorum, qui sibi suaeque factioni invisi essent, recentem electionem indignatum, Muelleri est opinio. Si igitur ostendero, tam sero addere eos non potuisse poetam, hypothesis Muelleri de electionis mense ultro concidet, utpote fundamento carens.

Non deterrent me autem verba, quae scripsit M. S. p. 504 sq.: „Es kommen dergleichen Verstösse und Widersprüche übrigens fast in allen Aristophanischen Stücken vor; sie zeugen von dem hastigen Eifer, mit dem die Dichter noch bis zum letzten Augenblick vor der Aufführung an ihren Stücken arbeiteten und änderten, und man irrt, wenn man darin gleich das Zeichen einer späteren Umarbeitung behufs einer Wiederaufführung der Stücke erkennen will, wie neuerdings wohl geschieht. Solche Dinge soll man sich bemühen zu verstehen, statt vorzulaufen, und die noch warmen Fährten, die frischesten Spuren des drängenden Lebens mit plumpem Fusse auszutreten!"

Eiusmodi terriculamenta habeant sibi nutrices, quibus infantulorum vagitum reprimant; „μορμὼ, δάκνει ἵππος."

Sed viri argumentationem videamus. E v. 566 sqq. sequi

dicit, non fuisse strategum Lamachum, cum fabula scenae commissa est, neque in comoedia strategi partes eum egisse, e. v. autem 575 efficiendum videri, lochagum eum fuisse [1]); si autem fuisset strategus, v. 964 Lamachi ministrum dominum suum celebrantem sine dubio eam dignitatem commemoraturum fuisse; versu denique 1073 a strategis angustias custodire cum iubeatur, nullum superesse dubium, quin inferiorem aliquem teneat locum; attamen v. 593 eum strategum se vocare ipsum [2]).

Propterea coniecit M. S., v. 593—619 comoediae iam perfectae postea additos esse et alia quoque attulit argumenta: v. 578 fere eundem esse ac v. 593, v. 720—722 non differre a v. 623—625, post v. 593 repente mores mutare Dicaeopolim: qui enim ante ignavus („Erzmemme") esset, nunc stratego minari audere; v. 626 choreutas, qui inde a v. 577 discordes fuissent et vel manus conserere coepissent, derepente unanimos factos pronuntiare, *νικᾶν* Dicaeopolim *τοῖσι λόγοισι* — quos non dixerit; versum 599 aliam indutiarum causam praebere quam dramatis initium.

Non difficile autem erat plures enumerare difficultates, quas collegit v. Leeuwen in fabulae editionis suae praefatione:

Duo phallici sunt prooemia, v. 242, 243 enim v. 253 et 259 simillimi sunt. Bis fere eodem modo de Cleone queritur Dicaeopolis (377 et 502); bis Lamachus in scenam prodit, v. 566 et v. 1070, neque v. 566 sqq. cum fabulae argumento bene cohaerent. Praeterea v. 572 statim armatus prosilit, v. autem 1072 sqq. longo tempore ei opus est, ut arma praeparet et *τριχοβρῶτες τοὺς λόφους* iam *κατέφαγον* (v. 1111), qui tamen v. 1182 denuo apparent.

---

1) v. Leeuwen ad v. 572, taxiarchum eum fuisse existimat.

2) Ad hanc discrepantiam explicandam non haec, opinor, potest proferri hypothesis, Lamachum inter v. 593 et v. 1073, i. e. inter Dionysia Minora et Anthesteria, non iterum electum esse vel magistratum ei esse abrogatum; poeta enim, si tale quid voluisset, disertis verbis id dixisset.

Nec non mirandum est, post v. 574—625 rogare Dicaeopolim (v. 963): „ὁ ποῖος οὗτος Λάμαχος;" Duae mercatorum sunt scenae (v. 729—835 et v. 860—958), quarum utramque turbat delator. Duo cives pacem desiderant (v. 1018—1046 et v. 1047—1068); de duobus Lamachi vulneribus loquitur θεράπων v. 1175 sqq. Complures versus bis leguntur: 177 = 203, 201. 202 = 250. 269, 384 = 436, 623—625 = 720—722, aliorum autem duplex forma superesse videtur: 95 et 96, 326 et 327, 402 et 408, 574 et 1181, 558 et 578 et 593, 656 et 658, 905 et 928, 995 et 997.

Praeterea eaedem agnominationes inveniuntur v. 808 et v. 853, v. 826 et v. 917. V. 1077 Boeotiorum latronum mentio fit, qui invasionem facere in animo habeant, cum tamen v. 1021 sqq. iidem latrones γεωργοῦ boves iam abripuisse dicantur (cf. v. L. ad v. 1077).

Neque satis certum est, ubi agatur fabula, nam v. 267 ruris, v. 729 autem urbis mentio fit.

Nonne omnes eae difficultates sufficiunt, ut duas mistas esse fabulae recensiones sumamus? Imo cogunt; nam ex festinatione haec omnia explicari nequeunt.

Quod si verum est, nihil obstat, quominus versus 593 sqq. ex altera editione profluxisse ponamus. Ipse autem Aristophanes si eos inseruisset, cur tandem versus sustulisset, quibus Dicaeopolis chori alteri parti persuadebat? Qui abesse nullo modo poterant. Praeterea vide quam male cohaereant omnia: nonne comicus aut versum 593 aut versum 578 delevisset, si ipse hunc locum retractavisset? Nonne repentinae Dicaeopolidis irae causam excogitavisset [1])? Profecto non tam rudis in arte inopsve consilii erat poeta, cuius fabula primo praemio digna iudicata sit, cum praesertim adversarii Cratinus et Eupolis spernendi non essent.

---

1) Leeuwenii haec est explicatio, Dicaeopolim primo metum similantem fecisse Aristophanem, deinde metu excusso minantem. At ego mutationis eius nullam causam in fabula invenire possum.

Et hoc quoque Muellerum rogare velim, qui optimo iure de se ipse profiteatur (Thuk. Forsch. p. 154): „Ich kann einmal nicht anders, ich muss immer versuchen mir eine klare Vorstellung, eine bis in die Einzelnheiten hinein lebendige Anschauung von den erzählten Ereignissen zu bilden, sie gleichsam mit der Einbildungskraft zu reproduciren und mit zu erleben": Quali veste indutus fuit Lamachus? quippe qui v. 570 lochagus (vel taxiarchus), v. autem 593 strategus sit, neque interea scenam reliquerit. Et quomodo is, qui ante strategus fuerat, deinde v. 1073 lochagi insignibus ornatus prodire potuit?

Praeterea (ait M.S.) a cetera comoedia truculenti hi versus discrepant (p. 499): „eine Einlage, die durch einen gewissen Ton keifender, griesgrämlicher Bitterkeit höchst unvortheilhaft absticht von dem frischen Schwunge jugendlicher Heiterkeit und jovialer Ausgelassenheit, der sonst das ganze Stück von Anfang bis zu Ende in ungetrübter Einheit durchweht." Assentior et hanc ob causam ex altera recensione versus desumptos esse puto, quippe qui in ceteram comoediam non quadrent, neque adaptari possint. Nam quod v. Leeuwen contendit, στρατηγὸν v. 593 idem valere, quod ἡγεμόνα, nempe in tragicorum sermone, quem Dicaeopolis hoc loco per iocum imitatur, στρατηγὸν saepius de quovis copiarum duce usurpari, Aristophanem autem consulto usum esse hoc vocabulo ad Lamachum στρατηγιῶντα deridendum, — hanc explicationem reiciendam esse iudico. Nam non supersedisset Dicaeopolis superbiam viro obicere [1]).

Acharnensium comoediam aeque ac Nubium quasi centonem vocare vellem: centonem tamen e duabus modo fabulis compositum. Qualis vero superest comoedia, doceri nunquam potuit.

---

1) Nec non articulus additus me prohibet, quominus Leeuwenii explicationem admittam. Nam haec bene dicta esse mihi videntur: „Durft gij dat te zeggen tegen mij, den generaal?" vel „Durft gij dat te zeggen tegen mij, een hoofdofficier?" Vix tamen, si quid video, diceret aliquis: „tegen mij, den hoofdofficier."

Quam dedit deinde M. S. exitus fabulae explicationem, eam veram esse, vix credo. Contra Boeotios latrones egressus, Lamachus vulneratus est. Non tamen inde sequitur, in Aetolia revera ei vulnus inflictum esse, sed Aristophanes, ut belli miserias et pacis gaudia inter se opponeret, ebrium Dicaeopolim cum puellis lascivientem iuxta Lamachum telo hostili prostratum spectatoribus ostendit. Sic in Equitibus Paphlago τὸν δακτύλιον ἀποδοῦναι iubetur (v. 947), nec vero inde effici potest, item Cleoni turpiter abrogatum esse magistratum, vel alio modo auctoritatem suam in republica eum perdidisse [1]). Neque M. S. p. 690 iure contendit, vulnus illud Lamachi in versu 591 sq. respici [2]). Nam e loco corrupto nihil effici potest. Fieri igitur potest, ut vulneratus sit in Aetolia, sed nihil de hac re constat.

Longam deinde addidit M. S. disputationem de nominibus, quae leguntur v. 602 sqq., novorum enim strategorum ea esse suspicatur.

Quae disputatio num magnam afferat utilitatem, dubito. Attamen pauca de ea dicenda videntur, quoniam clare in ea elucet Muelleri ingenium, summaque viri ibi apparet sagacitas, qualem apud paucos invenias. Nec vero temere hypotheses suas finxisse eum, sed multis modis tentasse, inde intellegi potest.

Excipio tamen id, quod de verbis τοῖς παρὰ Χάρητι dixit; nimirum ad Simonidem strategum (Thuc. IV, 7) haec spectare suspicatur [3]), qui Charetem quendam, quem Thraciae cuiusdam popelli tyrannum fuisse fingit, sive iuvarit, sive impugnarit. At omni fundamento haec carent, de ta-

---

1) Vid. Arist. u. d. Hist. Krit. p. 142 sqq., ubi Onckenium impugnavit M. S.

2) οὐ γὰρ κατ' ἰσχύν ἐστιν· εἰ δ' ἰσχυρὸς εἶ,
τί μ' οὐκ ἀπεψώλησας; εὔοπλος γὰρ εἶ.

3) v. Leeuwen opinatur, Χάρητα dictum esse pro Λάχητι, qui in Vespis Λάβης nominatur. Quod ideo admittere non ausim, quod versu quoque 606 significantur strategi, qui in Sicilia sunt.

libus autem valet illud: „tacere praestat quam nihil dicere." Nam etiamsi forte fortuna verum vidisset M. S., at verum esse neque ille neque alius quisquam demonstrare posset; quis autem tali hypothesi uti audebit, ut aliud quid probet vel impugnet, aliamve hypothesin fulciat? Talia nullius momenti sunt et in mentem revocant audaciam Freinshemii, qui Livium restituere ausus est, vel eius viri docti, qui, cum nuper nata esset grammatica comparativa, fabulam scripsit, lingua usus Indo-Germanica, cuius nulla scilicet sint monumenta, si unquam extiterint.

Versus autem 605 sq. ad strategos in Sicilia bellum gerentes pertinere, probabiliter admodum suspicatus est M. S. Sunt Pythodorus (Thuc. III, 115), Sophocles, Eurymedon (IV, 2). Num hi duo propterea ἐν Χαόσιν esse dicantur, quod Corcyrae seditionem pacare conati sunt, id minus certum esse mihi videtur, cum praesertim v. 614 statim post Χαόνας facta sit mentio τοῦ Κοισύρας [1]), quem Hippocratem Ariphronis filium esse suspicatur M. S. [2]). Deinde e Πανουργιππαρχίδῃ Thucydidem historicum effossit, Tisamenum autem Acestoris filium fuisse, opinatur.

Haec omnia sagaciter, lepide. At incerta manent. Num enim sub omnibus his nominibus lateant strategi, dubito. Quidni legatorum quoque mentionem fecerit poeta (cf. v. 610)? Praeterea neglexit M. S. verba τρεῖς δραχμὰς (v. 602). Estne hoc strategi stipendium? Ex Anabaseos loco (VII, 6, 1), maius id fuisse, efficere vellem: καὶ λέγει ὅτι δαρεικὸς ἑκάστῳ ἔσται μισθὸς τοῦ μηνός, τοῖς δὲ λοχαγοῖς διμοιρία, τοῖς δὲ στρατηγοῖς τετραμοιρία (cf. VII, 3, 10, v. Leeuwen ad Ach. v. 572).

Quoniam autem Graecorum militum stipendium inter duos obolos et drachmam fuit (Boeckh. Staatshaush. I, p. 168) et maximi stipendii hic mentionem facere debet

---

1) Et saepe Chaones nominis tantum gratia commemorantur.

2) Difficultatem, quod ad phylam, sustulit v. Leeuwen ad Ach. v 568.

poeta, quatuor drachmas accepisse viros loco nostro enumeratos, si strategi fuerint, verisimile est.

Hoplitae ante Potidaeam cotidie drachmam accipiebant (Thuc. III, 17), Thraces autem (Ach. v. 159) vel duas petunt drachmas (Boeckh I, p. 378). Vellem hanc rem tetigisset M. S.

Pauca addam de Gilberti opinione (Beiträge zur innern Geschichte Athens p. 7—14), qui Munychione mense strategos creatos esse censet. Inscriptio enim extat a Koehlero edita (Monatsber. d. Berl. Ak. 1866, p. 343 sqq.), quae vicesimo secundo huius mensis die id factum esse ostendit. At vehementer dubito, num ex Sullae aetatis [1]) inscriptione efficere liceat, eundem morem semper viguisse, quoniam tot res, quominus id sumamus, nos prohibent. Neque mirandum esse censeo, duobus saeculis post, cum prorsus alia esset Graeciae conditio et strategorum magistratus fere civile esset munus (cf. Hermann Staatsalterth. § 153) electionum quoque aliud fuisse tempus ac libertatis temporibus.

Neque Isaei locus de bonis Apollodori (§ 15 sqq.) satis firmum est argumentum; hinc enim nihil sequitur nisi hoc, inter Thargelia et Pythia factas non esse electiones.

Xenophontis autem locus [2]) hypothesin de Munychione impugnare mihi videtur: hic enim legimus, eodem tempore [3]) Samo profectos esse Alcibiadem in sinum Ceramicum, Thrasybulum in Thraciam, Thrasyllum autem Athenas; *πρὶν δὲ ἥκειν αὐτὸν, οἱ Ἀθηναῖοι στρατηγοὺς εἵλοντο, Ἀλκιβιάδην μὲν φεύγοντα κ. τ. ἑ.* Atqui si veris initio (*ἀρχομένου τοῦ ἔαρος* § 2) Samum reliquit Thrasyllus, non multis diebus post Athenas advenit, ubi novi iam strategi electi erant. Veris autem initium in Thucydidis opere cum Dio-

---

1) Muellero quoque nota erat haec inscriptio, sed eandem ob causam neglegendam eam esse, iudicavit.

2) Hell. I, 4, 8.

3) Gilbert annotatio 17ª.

nysiorum Maiorum festo convenit [1]). Nonne igitur ex hoc loco efficere licet, hoc festo creatos esse strategos [2])?

Ubi Muellerum refellere conatur Gilbertus, parum firma argumentatione uti mihi videtur vir eximius. Unam sententiam, unde satis id apparere arbitror, exscribam: „Vor allen Dingen aber ist bei der Beurtheilung dieser Frage festzuhalten, dass der Normalzustand eines Staates der Frieden ist, und dass desshalb auch die Einrichtungen desselben mit Rücksicht auf diesen Zustand getroffen werden." Equidem dixerim, satis credibile esse, in belli ducibus eligendis belli quoque rationem aliquam esse habitam.

In Equitibus quoque eandem festinationem, quam in Acharnensibus deprehendere sibi videtur M. S. (p. 680 sqq.). At non bene chorum (v. 551—580) explicuisse eum, demonstrare conabor.

ἵππι' ἄναξ Πόσειδον, ᾧ 551
χαλκοκρότων ἵππων κτύπος κ. τ. ἑ.
ὦ Γεραίστιε παῖ Κρόνου 561
Φορμίωνί τε φίλτατ' ἐκ
τῶν ἄλλων τε θεῶν Ἀθη-
ναίοις πρὸς τὸ παρεστός.
εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι 565
ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου,
οἵτινες πεζαῖς μάχαισιν ἔν τε ναυφάρκτῳ στρατῷ
πανταχοῦ νικῶντες ἀεὶ τὴνδ' ἐκόσμησαν πόλιν·

1) M. S. in Fleckeisenii Ann. 1883. In temporis autem ratione Thucydidem imitatum esse Xenophontem credibile est.

2) Aristoteles haec scribit (Ἀθην. Πολ. c. 44): ποιοῦσι δὲ καὶ [δέκ]ἀρχαιρεσίας στρατηγῶν ... ποιοῦσι δ' οἱ μετὰ τὴν ϛ̄ πρυτανεύοντες ἐφ' ὧν ἂν εὐσημία γένηται. Hic locus optime confirmat Muelleri opinionem, ante aestatem electos esse strategos.

Electionis igitur tempus non constitutum erat. Attamen crediderim, aut morem aut legem prohibuisse, quominus eam in aestatem differrent, vel prorsus omitterent.

οὐ γὰρ οὐδεὶς πώποτ' αὐτῶν τοὺς ἐναντίους ἰδὼν
ἠρίθμησεν, ἀλλ' ὁ θυμὸς εὐθὺς ἦν ἀμυνίας·
εἰ δέ που πέσοιεν ἐς τὸν ὦμον ἐν μάχῃ τινὶ,
τοῦτ' ἀπεψήσαντ' ἂν, εἶτ' ἠρνοῦντο μὴ πεπτωκέναι,
ἀλλὰ διεπάλαιον αὖθις, καὶ στρατηγὸς οὐδ' ἂν εἷς
τῶν πρὸ τοῦ σίτησιν ᾔτησ' ἐρόμενος Κλεαίνετον·
νῦν δ' ἐὰν μὴ προεδρίαν φέρωσι καὶ τὰ σιτία,
οὐ μαχεῖσθαί φασιν, ἡμεῖς δ' ἀξιοῦμεν τῇ πόλει
προῖκα γενναίως ἀμύνειν καὶ θεοῖς ἐγχωρίοις.
καὶ πρὸς οὐκ αἰτοῦμεν οὐδὲν, πλὴν τοσουτονὶ μόνον·
ἤν ποτ' εἰρήνη γένηται καὶ πόνων παυσώμεθα,
μὴ φθονεῖθ' ἡμῖν κομῶσι μηδ' ἀπεστλεγγισμένοις.

E v. 562 iure effecit M. S., tunc (anno 424) vixisse et valuisse Phormionem. Deinde vero ad eundem pertinere epirrhema suspicatur, optime enim ea, quae Thucydides II, 88, 2 [1]) refert, cum v. 569 sq. congruere et versibus 571—573 spectatores rerum, quae apud Thucydidem II, 91 [2]) narratae sunt, commonefieri; quo citius autem in mentem iis revocarentur, verbis *ἐν ναυφράκτῳ στρατῷ* alludi ad Naupacti nomen urbis, ubi Phormio rem gesserat. At quae v. 573 sequuntur, nullo modo cum praecedentibus cohaerere; et quae deinde leguntur *οὐ μαχεῖσθαί φασι κ. τ. λ.*, ea ad rem nuperrime factam [3]) pertinere debere, quoniam ridiculum sit fingere, huiusmodi morem tunc temporis in Atheniensium classe invaluisse. Hunc autem in modum res factas esse, sibi fingit:

Equitum tempore (Lenaeis anni 424) strategus electus est Cleon. Cui petenti adversarii Phormionem eiusdem phylae candidatum opponere et ideo huius *ἀτιμίαν* tollere

---

1) *πρότερον μὲν γὰρ ἀεὶ αὐτοῖς ἔλεγε καὶ προπαρεσκεύαζε τὰς γνώμας ὡς οὐδὲν αὐτοῖς πλῆθος νεῶν τοσοῦτον, ἢν ἐπιπλέῃ, ὅ τι οὐχ ὑπομενετὸν αὐτοῖς ἐστί·*

2) Phormio victus Lacedaemoniorum classem victricem et incuriosam superavit.

3) Hoc sumere necesse non est. Fieri potuit, ut poeta strategorum arrogantiam deridere vellet, sed more suo rem augeret.

voluere, rogante (Κομητ)Amynia (v. 570, 580). At ille morem iis non gessit, sed προεδρίᾳ et σιτήσει dignum se esse professus, contra Cleonem petere noluit (v. 574, ubi pro Κλεαίνετον Muellero τὸν Κλεαινέτου vel tale quid legendum esse videtur).

Cantici igitur priorem partem usque ad medium versum 573 ante scripsisse poetam, contendit M. S., sequentes vero versus post electionem demum addidisse [1]). At (ut quaestionem de strategorum electionis tempore nunc mittam) cur in epirrhemate Phormionis nomen reticuit Aristophanes, cur ne obscure quidem significavit? Cur non de hostium navibus numerandis locutus est sed e palaestra imaginem sumpsit (v. supra p. 6)? Et (quod maioris momenti) quomodo aequalem inter πατέρας (565) nominare potuit? Quomodo eundem virum et inter τοὺς στρατηγοὺς τοὺς πρὸ τοῦ et inter eos, qui νῦν sunt, potuit numerare? Praeterea verbi φέρωσι (575) subiectum est vocabulum στρατηγοί. Nec vero strategus erat Phormio, sed ἄτιμος ne petierat quidem. Et quid in Muelleri interpretatione significare potest verbum ἐρόμενος? Nihil enim a Cleone petierat Phormio.

Nonne optime omnia cohaerent, si Wilamowitzii versus 574 explicationem admittimus, „antea Cleonis patrem Cleaenetum hominem ignotum neminem adiisse"? [2]).

Ea autem, quae de verbis ναυφράκτῳ στρατῷ et κομῶσι contendit M. S., nimis quaesita esse mihi videntur.

Postremo si Aristophanes Phormionis recusatione offensus, dimidiam laudis partem delevit, ut alios versus

---

1) „So sicher die Junker auch des Erfolges ihres Anschlags waren, wie der schon fertige Lob- und Triumphgesang des Dichters in diesem Stück beweist — der alte Held hatte ihnen einen Strich durch die Rechnung gemacht" (p. 684).

2) Quomodo Kock ea, quibus M. S. priorem cantici partem explicavit, cum interpretatione, quam sequentium dedit v. Wilamowitz, iungere potuerit, hoc non capio.

adderet, cur non potius toti epirrhemati novum substituit?

Nam non ultimis ante electionem diebus optimatium consilium excogitatum est, imo inter Phormionis recusationem et Lenaea (si tunc electio facta est), satis magnum temporis intervallum esse debuit, ut unum epirrhema componeret comicus.

IV.

De iureiurando per Neptunum (Fleckeisen's Jahrbücher 1878).

Altera pars disputationis, quam hoc anno scripsit M. S., optima eius ingenii praebet specimina, quam ob causam in ea, quae de more per Neptunum iurandi ex Aristophanis fabulis effici posse contendit, inquirere volo.

Incipit a Plut. v. 397. Chremylus Plutum in sua domo esse asseverat; non credit Blepsydemus. „Verum tamen loquor." Chremylus dicit. — „Quidni igitur iuras?" — „At iuro" Chremylus inquit „*νὴ τὸν Ποσειδῶ*." Tum Blepsidemus, qui alterius verbis non fidit, rogat: „*τὸν Θαλάττιον λέγεις;*" Huius versus difficilis insulsas aliorum explicationes optimo iure reiecit M. S. Nonne enim praestat ignorantiam confiteri quam talia proferre, qualia Bergler: „nisi forte propterea id rogavit, quia si constet, eum per *θαλάσσιον* iuravisse, concludi possit, Plutum sive opes illas fuisse mari advectas," qualiave Donner, Seeger, Droysen: „putat Blepsidemus, Chremylum cum divitiis trans mare fugere velle." Profecto non antiquos commentatores adire opus est, si ridere cupimus.

Quanto meliora attulit M. S., qui ex Hesychii annotatione *πελαγίζειν — ἁλαζονεύεσθαι* effecit, Graecos *ἐμπόρους* eadem fructos esse fama, qua hodie venatores. Unde *Ποσει-*

δῶνι θαλασσίῳ idem iactationis esse vitium, facile credidisse homines.

Hanc ob rem ad omnes Aristophanis locos, quibus per eum deum iuratur, attendit M. S. et saepe cum mendacio iusiurandum illud iunctum esse invenit.

Operae autem pretium erit, eius disputationem persequi, ut videamus, eum saepius torsisse suam hypothesin, ut diversis locis eam adaptaret. Quod antequam faciam, hoc constituere volo, diras, si diversas habeant significationes, e moribus potissimum vel conditione illorum, qui iis utantur, explicanda esse eiusmodi discrimina. Cuius praecepti simplicis non memor fuit M. S., e. g. Acharn. v. 560, ad quem hoc annotat: „Ideo, quod chorus Dicaeopolidis verborum veritatem impugnat et verbo ψεύδεται usus est, per Neptunum iurat" [1]). At tum, puto, per Veritatis potius deum iuravisset. Nonne nugas has esse apparebit, si vertimus: „Maar bij den leugengod, alles, wat de man zegt, is waar en hij liegt niet."?

Alterum Acharnensium locum (v. 798) ita explicavit: „Megarensis, qui Dicaeopolim circumvenire velit, doli et mendacii deum advocat." Iactationis igitur deus hic, ut alibi Mercurius, dolum tuetur.

In Equitibus autem septies per deum iuratur et bis advocatur idem: nil mirum (ait) in comoedia, quae nihil sit nisi iactandi certamen [2]). „V. 339 übertrumpft der wursthändler den schwur des Paphlagoniers ναὶ μὰ Δία, als habe er damit an die für sie beide höchste instanz appelliert." Quae explicatio num vera sit, nescio, sed annotare volo, neque de iactatione neque de mendacio neque de dolo malo agi, sed certare Agoracritum cum Paphlagone, uter prior verba faciat.

---

1) „der blosze Streit darüber, ob D. die wahrheit gesagt hat und der gebrauch des wortes ‚lügen' legt dem chor den Schwur auf die Zunge."

2) Semel modo per Mercurium iuratur, v. 297, quoniam in Equitum comoedia saepius mentiuntur homines quam decipiunt.

Versum tamen 1201 bonum iactationis praebet exemplum: leporem se surripuisse fatetur isiciarius, imo gloriatur. Praeterea v. 409 et v. 843, impudentia superatum se non iri, per nautarum illum deum iurat Paphlago. At hic impudentia causa esse potest, ob quam hoc iureiurando ille utitur, non tamen iactatio dolusve malus. Utilior Muellero est Equitum versus 899; nam post silphii commemorationem („eine lustige lüge") de insana accusatione ridere Demum, id absurdum non est. Simile exemplum fortasse est v. 1035.

Versu 366 Neptunum ἵππιον intellegendum esse censet M. S., quem chorus (cui hic quoque versus antea dabatur) in parabasi quoque advocet (v. 551). Cur non potius confessus est, huic versui hypothesin suam adaptari non posse?

Advocatur praeterea deus v. 144 et v. 609, qui versus „summam ostendunt admirationem." At v. 609 non miratur sed indignatur cancer; maris autem incola per quem iuret, nisi per maris deum?

Nub. autem v. 665 et v. 724 Strepsiadem ideo per Neptunum iurare dicit M. S., quod ad Socratem veniat ad fraudes et mendacia addiscenda. At e v. 665 nihil appareret, opinor, nisi Socratis ingenii admiratio, versus vero 724 iactationis bonum est exemplum, nam φροντίζειν se contendit discipulus, dum ridiculis et nullius momenti cogitationibus mens eius distrahitur.

Postremo versui 1234 hunc iocum inesse contendit M. S., quod per mendacii deos, Mercurium et Neptunum, iurare debitorem iubeat Pasias. Hermann autem Mercurium utpote mendacii deum nominatum esse putat, Neptunum vero, quod equus emptus sit. „Gut" ait M. S. „dann würde der Spasz eben darin liegen, dasz der patron des pferdehandels zugleich lügengott ist." — Quo rapimur!

Vesp. v. 143 (ἄναξ Πόσειδον, τί ποτ' ἆρ' ἡ κάπνη ψοφεῖ;) Neptunum invocari propter stuporem, quem res movet incredibilis, M. S. iure contendit. Sed cum v. 163 filius

optimates imitatus [1]) per Neptunum iurat, non marinum cogitat deum sed τὸν Ἵππιον [2]).

Pacis v. 564 admirationem suam Mercurius indicat per Neptunum iurando. Alia mirationis exempla sunt Avium v. 287, v. 294, v. 1131.

At Avium v. 1614 non admirantis sed magis approbantis est illud νὴ τὸν Ποσειδῶ. Neque iocum, Neptunum per Neptunum iurantem, omittere voluit poeta.

Lys. autem v. 403 causam idoneam, cur per Neptunum iuretur, indicare non potuit M. S. Reicit enim vulgatam interpretationem, per deum marinum iurare senes, quippe qui aqua perfusi sint: „das wäre ein Kaltwasserspasz." At nonne plures ioci frigidi in Aristophanis operibus deprehendi possunt?

Neque v. 1165 aliam reperire potuit causam invocati Neptuni, nisi quod Pylus ad mare sita est.

In Thesmoph. quoque v. 86 haesit nec non in Ran. v. 183; at favent eius opinioni huius fabulae v. 276 et v. 296, ubi mentientes deum advocant. Eccl. v. 339, v. 451, v. 568 admiratio et mendacium pro causis habenda sunt. In versu tamen 832 denuo haesit.

Deinde cum Eccl. v. 748 scepticum per Neptunum iurare dicit, quod civitatis mutationem nondum satis firmam esse iudicet, rogatum volo, quid hoc cum iactatione vel mendacio commune habeat.

Et ita ad Plutum revertimus, cuius v. 1050 [3]) summam depingit mirationem: attamen propter versus partem alteram admodum etiamnunc mihi placet Droysenii explicatio, Neptuni ut dei senioris mentionem esse factam.

Denique ne in illo quidem versu (Plut. v. 396), unde disputandi initium fecit, cur Neptuni τοῦ θαλαττίου inicia-

1) „der junkernde Bürgersohn."

2) Si servus hunc versum dicit, nullam causam dei invocati excogitare possum. Atque fatendum est, servo melius convenire verba quam filio.

3) ὦ Ποντοπόσειδον καὶ θεοὶ πρεσβυτικοὶ,
ἐν τῷ προσώπῳ τῶν ῥυτίδων ὕσας ἔχει.

tur mentio, explicavit M. S. Nam Chremylus ibi neque gloriatur, neque mentitur, neque decipit, neque miratur, neque approbat, neque dubitat, neque per Ἵππιον iurat.

Loci autem huius simplex explicatio est haec, quam mihi suppeditavit vir doctissimus v. Leeuwen: Chr. „Per Neptunum." Bl. „Verumne advocas Neptunum?" („An fortasse adulterinum aliquem deum nominavisti?"), i. e. „bedoelt gij wel den echten Poseidon?" („toch geen nagemaakten?"). Et nodum in scirpo quaesivisse cum Muellerum tum ceteros commentatores, nunc mihi constat.

In Euripideo autem loco, Cycl. v. 262, Polyphemi et Neptuni cognatio iusiurandum satis explicare mihi videtur.

Ergo etiamsi iure contenderit M. S., apud Plautum militem illum gloriosum „Neptuni nepotem" propter iactationem vocari, etiamsi porro verum sit, quod ille statuit, Romae peregrinos ob iactandi morem Neptuni filios vocatos esse [1]), etiamsi denique θαλάττιος Av. v. 1333 idem significet ac mendax, concedi tamen nequit, Athenienses tum demum per maris deum iurasse, cum mendacium aliquod aut iactatio eorum mentem feriret.

Nam Muelleri hypothesis multos locos omnino non explicavit; alios autem locos simplicius quam ille fecit posse explicari, ostendi; praeterea iurisiurandi huius significationem tantopere identidem immutavit, ut in Proteum aliquem multiformem abiisse maris deum dixeris, per quem nemo non apte quavis fere occasione iurare potuerit. Quantum enim inter se distant mendacium et approbatio!

Quod autem homines tum per Neptunum iurare contendit, cum mirentur aliquid, respondeo, cuiusvis iurisiurandi hanc esse causam, quod insolitum quid inexpectatumve miremur vel indignemur.

---

1) Servius ad Aen. III, v. 241.

V.

De Thuc. VII, 56, 3. (Polemische Beiträge zur Kritik des Thukydidestextes. Separatabdruck aus Heft 8 und 9 der Zeitschrift für österr. Gymnasien, 1879, p. 11).

In hoc libello complures Thucydidis locos difficillimos tractavit M. S., sed neque explicatione neque emendatione iis medicatus esse mihi videtur, nec nisi novas protulisse coniecturas, quibus res controversae non dirimantur. De singulis locis, quos tetigit, id comprobare si vellem, immodice huius libelli excresceret ambitus, itaque de uno tantum agam, quem male ab eo explicatum esse, persuasum habeo.

Locus legitur Thuc. VII, 56, 3. καὶ ἦν δ' ἄξιος ὁ ἀγὼν κατά τε ταῦτα καὶ ὅτι οὐχὶ Ἀθηναίων μόνων [1]) περιεγίγνοντο, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων πολλῶν ξυμμάχων, καὶ οὐδ' αὐτοὶ αὖ μόνοι [1]) ἀλλὰ καὶ μετὰ τῶν ξυμβοηθησάντων σφίσιν, ἡγεμόνες τε γενόμενοι μετὰ Κορινθίων καὶ Λακεδαιμονίων, καὶ τὴν σφετέραν πόλιν ἐμπαρασχόντες προκινδυνεῦσαί τε καὶ τοῦ ναυτικοῦ μέγα [μέρος] προκόψαντες.

Krueger, quem sequitur v. Herwerden, delevit verba καὶ οὐδ' αὐτοὶ αὖ μόνοι, ἀλλὰ καὶ, quippe quibus Syracusanorum gloria minuatur.

---

1) μόνων et μόνοι dedit Stahl pro μόνον.

Iniuria, ait Classen, qui addit, Syracusanis magno honori fuisse, quod in hoc bello Siculis copiis praeessent et socios haberent Corinthios et Lacedaemonios [1]). Quam annotationem cur adscripserit, me latet; nihil enim narrat, nisi quod e Thucydide ipso quisque cognoscere possit. Cur vero servanda sint verba, quae Krueger delebat, et quomodo Syracusanorum gloriam ea non minuant, his de rebus nullum apud Classenium verbum reperitur.

Attamen mihi quoque Kruegeri sententia probanda non esse videtur, abesse enim nequeunt haec verba, nisi sequentia quoque *μετὰ - σφίσιν* eiciantur. Nam quaevis sociorum mentio Syracusanorum gloriam quodammodo minuit et in talibus laudibus magnificis et splendidis omnia, quae (licet vera sint) vel minimam faciant umbram, omittenda sunt.

Quam contorta autem post Kruegeri athetesin superest sententia! *μετὰ τῶν ξυμβοηθησάντων σφίσιν ἡγεμόνες τε γενόμενοι μετὰ Κορινθίων καὶ Λακεδαιμονίων καὶ κ. τ. ἑ.*, i. e. una cum iis, qui adiuverant, duces fuerunt, cum Corinthiis et Lacedaemoniis. Quis non populorum nomina sententiae initio addidisset, aut omisisset et a summi momenti vocabulo *ἡγεμόνες* incepisset? Praeterea hoc loco aurem offendit particula *τέ*.

Nunc autem Muelleri videamus emendationem Kruegeriana multo simpliciorem. Qui unam modo praepositionem *μετὰ* delet [2]). *ἡγεμόνες τε γενόμενοι* [*μετὰ*] *Κορινθίων καὶ Λακεδαιμονίων καὶ κ. τ. ἑ.*

---

1) „Dasz die Syrakusier in diesem Kampf die Hegemonie führten, selbst neben Korinthern und Lakedämoniern, und dasz auf ihrem Gebiete der Kampf ausgefochten wurde, das gab ihnen für ganz Hellas eine vorwiegende Bedeutung." Classenii haec verba laudat M.S. p. 12, sed pro „neben" habet „über", quod sine dubio ferri non potest, dum *μετὰ* legitur. Utrum error sit Muelleri, an Classenii in priore editione — nam in altera denuo legitur „neben" — ignoro.

2) In Herwerdenii editione haec leguntur: „M.S., cui tamen delenti mox *τὲ* et *μετὰ* non assentior." Fortasse est error typothetae. Nam statim ibi sequuntur verba: „*τὲ* et *μέρος* del. Krueger."

Nonne hoc (rogat) Syracusanorum gloriam auget, socios celeberrimos, quales erant Corinthii et Lacedaemonii, iis paruisse [1])? Sine dubio; at eandem auxiliorum illa commemoratio minuit. Nam dum verba καὶ οὐδ' - σφίσιν legimus, ignorantes, quae secutura sint, valde miramur, imo offendimur. Si igitur Muelleri emendatio rata est, nihilominus verba, quae Krueger eiecit et quatuor sequentia delenda esse mihi videntur.

Syracusanos autem hegemoniam habuisse, nec vero Gylippum omnium ἡγεμόνα fuisse, id e multis Thucydidis et Diodori locis patere, contendit M. S. Quorum unum modo laudavit, credo, quod ceteris firmius argumentum praebere sibi videretur: Thuc VII, 86, 2; ibi enim invito Gylippo Niciam et Demosthenem interfectos esse narrari.

At oppono VI, 91, 4. πέμψετε .... ἄνδρα Σπαρτιάτην ἄρχοντα, ὡς ἂν τούς τε παρόντας ξυντάξῃ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας προσαναγκάσῃ, et hos locos VII, 4, 2 sqq., 5, 1 sq.; 6, 2, ubi ducis partes aperte agit Gylippus, qui exercitum convocet, dividat, progredi iubeat [2]).

Syracusanorum contra strategorum (VI, 73, 1) fere nulla mentio, nisi ter Sicani, VII, 46 [3]), 50, 70, et semel Agatharchi (VII, 70, 1), sed neque Eucles neque Tellias usquam occurrunt.

Quid mirum tamen, si bello finito Gylippus non amplius primus inter pares fuit? Si vel duce invito Syracusani, ultionis avidi, viros duos, qui tot sibi clades intulissent, interfecerunt?

Secundum Diodorum autem, cuius plurima apud Muellerum esse solet auctoritas, nihil invito Gylippo factum est, sed ille et ceteros omnes captivos et duos duces interfici iussit (XIII, 32) et ταῦτα διαλεχθέντος τοῦ Λάκωνος,

---

1) „unter ihrer Führung fochten."

2) Libr. VI, 73, 2 et 88, 7 sq. tamen Lacedaemonii et Corinthii, ut auxilio tantum veniant, rogantur.

3) Hic quoque locus argumentum praebet contra Muelleri hypothesin: οἱ Συρακόσιοι ... Σικανὸν ἀπέστειλαν ... Γύλιππος δὲ ... ᾤχετο.

μετέπεσε τὸ πλῆθος (33). Hoc tamen urgendum non esse censeo.

At semper, ait M. S., illi, in quorum territorio bellum gereretur, dextram alam occupaverunt et hegemoniam habuerunt[1]); et duos laudat locos: Thuc. V, 67, 2. δεξιὸν μὲν κέρας Μαντινῆς εἶχον, ὅτι ἐν τῇ ἐκείνων τὸ ἔργον ἐγίγνετο et V, 47, 7. ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη τὴν ἡγεμονίαν ἐχέτω, ὅταν ἐν τῇ αὐτῆς ὁ πόλεμος ᾖ.

Quod ad posteriorem locum attinet, inde non sequitur, semper hoc moris fuisse; prior vero firmius videretur argumentum Muellero praebere, nisi aliis locis collatis errare eum, ostendi posset. Nempe V, 67, 1, dextram alam non Tegeatae tantum, in quorum territorio res gerebatur, occupabant, sed etiam aliquot Lacedaemonii; penes Agidem autem fuisse imperium, nemo negabit. Libr. III, 107, 4, Acarnanes neque hegemoniam habent, neque in dextra collocati sunt, etsi in eorum territorio bellum geritur; ex altera autem parte Eurylochus, quanquam dux, ἔσχατον εἶχε τὸ εὐώνυμον et Peloponnesios et Ambraciotas ἀναμὶξ disposuit. Libr. I, 48, 3, in dextra ala naves sunt Atticae, etsi hegemoniam non habent et pugna facta est in mari Corcyraeo, Corinthii autem totius classis duces adversus Athenienses se collocaverunt. In pugna autem ad Plataeas (Herod. IX, 46) Pausanias, omnium Graecorum dux dextram quidem occupavit, sed quia Athenienses Persarum pugnandi moris magis periti essent, honoris loco cessit[2]).

Nonne ex his exemplis apparet, non semper eundem fuisse morem, sed duces ita disposuisse exercitus suos, ut quam optime vincere possent?

Praeterea estne verisimile, Spartanos, quorum peritia in pugnis terrestribus ubique nota esset, paruisse Syracusa-

---

1) „den Ehrenplatz, mit dem die Hegemonie verbunden war."

2) Neque apud Athenienses polemarchus, qui semper dextrae alae dux erat, toti exercitui praeerat. Tempus ante saeculum quintum et Clisthenis aetatem excipio. Cf. Aristot. Ἀθην. Πολ. c. 22: ἔπειτα τοὺς στρατηγοὺς ᾑροῦντο κατὰ φυλὰς ... τῆς δὲ ἁπάσης στρατιᾶς ἡγεμὼν ἦν ὁ πολέμαρχος.

nis? Nonne multo maior eorum erat utilitas, si hegemoniam haberent? cf. VII, 1, 4; 2, 2 sq.

Et cur non una cum sociis illis duces esse potuerunt Syracusani? cf. VII, 69, 1; 73, 1.

Displicet igitur Muelleri emendatio.

Quam ob rem praeter verba a Kruegero deleta, quatuor quoque sequentia expungenda esse iudico; quae nisi spuria ducerem, gravissimis vitiis laborare crederem. Hoc sane mihi constat, locum neque Kruegerum sanavisse neque Muellerum.

VI.

Protagorea, zu den Vögeln des Aristophanes (Fleck. Jahrb. 1880, p. 81—106).

Locus controversus invenitur in Avibus:

τῇδε μέντοι θἠμέρᾳ μάλιστ' ἐπαναγορεύεται
ἤν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον,
λαμβάνειν τάλαντον, ἤν τε τῶν τυράννων τίς τινα
τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λάμβανειν.

Argumenta, quibus in hac disputatione usus est M.S. ad sagacem hypothesin construendam, singula refellere posse mihi videor.

De Diagora scholia ad hunc locum, ad Nub. v. 830, ad Ran. v. 320 multa absurda, multa pugnantia, nonnulla vero melioris quoque notae afferunt. In hisce fere conveniunt: Diagoram Melium Athenis vitae partem degisse et inde, ob impietatem capite damnatum, Pellenam fugisse, deinde a Pelleneis, ut eum traderent, a ceteris autem Peloponnesiis, ne eum reciperent, poposcisse Athenienses. Similia rettulit Diod. XIII, 6. Praeterea iuvenem eum in deorum honorem dithyrambos fecisse narrant.

Neque quemquam offenderat Avium locus, quem exscripsi, antequam Fritzsche in Ranarum sua editione probavit, multo ante bellum Peloponnesiacum in exilium

missum esse Diagoram, quippe qui circa Pindari et Bacchylidis tempora floruerit. Et multa alia exprompsit argumenta, de quibus infra agam.

Statuit autem Fritzsche, falsa esse, quae Diodorus et scholiastae referunt, nempe Diagoram cum Protagora ab iis permutatum esse; Aristophanis autem locum alia ratione interpretatus est, quam infra exponam.

Hinc profectus, M.S. Avium quoque versu Protagoram significari suspicatur; attamen pro Diagora Protagorae nomen scribendum esse negat; nam si comicus dedisset Πρωταγόραν τὸν Μήλιον, grammaticos vel librarios id non fuisse mutaturos, qui hoc iocandi genus ex Nubibus, ubi Socrates vocatur Μήλιος, cognitum haberent; praeterea veri dissimile esse, bis eodem ioco usum esse comicum.

Ad sagacem igitur refugit coniecturam. Ex Eupolidis enim fragmento:

> ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος,
> ὃς ἀλαζονεύεται μέν, ἀλιτήριος,
> περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει.

Teïum Protagorae cognomen fuisse, effecit, non quo inde ortus esset, quippe quem Abderae natum esse, e Platone constet [1]), sed aliam ob causam ignotam. Quam ob rem verbum in Avium contextum recepit: Διαγόρας ὁ Τήιος. Quod cum in libris invenissent, Aristophanis errorem statim tollere conatos esse viros doctos, quippe qui, Meli natum esse Diagoram probe scirent.

Emendationi a Muellero propositae multa obstant. Aristophanis Aves actae sunt anno 414, Protagoram autem Pythodorus εἷς τῶν τετρακοσίων accusavisse dicitur apud Diogenem Laertium IX, 8, 5, anno igitur 411: ergo ad illud iudicium alludere non poterat comicus in Avium fabula. Negat

---

1) Praeterea ex Eupolidis quoque versibus effici potest, non Tei eum natum esse; patriam enim addere in tam noto viro, insulsum fuisset, ut iure dicit M.S.

tamen M.S., ex Diogenis verbis id effici posse; putat enim verba εἷς τῶν τετρακοσίων a scriptore non ad iudicii tempus definiendum esse addita, sed ut ipse accusator accuratius indicaretur, quasi dicas: „Pythodorus ille, qui postea unus e quadringentis viris fuit". Sic (ait) Critias ὁ τύραννος vocari solet, etiamsi neque ad tempus trigintavirorum neque ad res, quas ipse Critias tunc temporis egit, alludatur [1]). Krueger quoque concedit, temporis definitionem certam e verbis non sequi, solitam tamen explicationem simpliciorem et verisimiliorem ducit.

At similes dabo sententias, e quibus Muelleri explicationem ferendam non esse sequatur. Siquis historicus scripsisset de anno 1831: „Gulielmus II, Batavorum rex, urbem Bruxeliam, seditione quam maxime turbatam, fere solus intrare ausus est." Vel de anno 1795: „Napoleon, exercitus Aegyptiaci dux, Lutetiae perfecit, ut ‚concilii nationalis' sodales iterum eligerentur," quis haec probaret?

Contra si quis narraverit, Napoleonem, Francogallorum imperatorem, anno 1769 natum esse, etsi non accurate id dictum est, quisque intelleget, indicari puerum, qui postea imperator factus sit, quoniam haec viri celeberrima fuit dignitas, neque in re tam nota errare homines, credibile est. Sic igitur „Critias ὁ τύραννος" ferri potest, at ferri nequit „accusator εἷς τῶν τετρακοσίων", si designandus sit vir, qui aliquot annis post inter quadringentos viros sit receptus.

E Diogenis igitur verbis omnino sequitur, Pythodorum accusatorem fuisse, quo tempore quadringentorum senatorum unus aut esset aut fuisset. Neque verum est, quod putat M.S., Diogenem, si hanc sententiam exprimere vellet, scribere debuisse: „εἷς ὢν τῶν τετρακοσίων"; imo, si voluisset id, quod opinatur M.S., sine dubio dixisset: „μετὰ ταῦτα εἷς τ. τ." vel „ὃς καὶ γέγονεν εἷς τ. τ."

---

1) „Auch wenn gar nicht von seiner stellung und thätigkeit zur zeit der dreiszig die rede ist."

Primam igitur difficultatem non sustulit M.S. At quoniam fieri potest, ut Diogenes neglegentius fuerit locutus, aut verba eius postea corrupta sint, de ceteris quoque argumentis videamus.

Apud Philostratum enim (V.S. p. 13 Kayser) haec leguntur: *διὰ μὲν τοῦτο (τὸ ἀπορεῖν φάσκειν εἴτε εἰσὶ θεοὶ εἴτε οὐκ εἰσί) πάσης γῆς ὑπὸ Ἀθηναίων ἠλάθη, ὡς μέν τινες, κριθεὶς, ὡς δὲ ἐνίοις δοκεῖ, ψήφου ἐπενεχθείσης μὴ κριθέντι.*

Verba autem, quae literis diductis insignivi, de *τετρακοσίων* temporibus dici non potuisse, contendit M.S.

Nam (ita argumentatur) sub trigintaviris nulla fuisse iudicia, notum est et sub quadringentorum senatu non alium fuisse rerum statum, suspicari licet, cum praesertim ecclesiae quoque tunc non fuerint. Praeterea iis non fuisse otium aggrediendorum philosophorum, cum per breve modo tempus, Samio exercitu infenso, civitati, ipsi discordes praefuerint.

At quanquam pauca modo de quadringentorum tempore nota sunt, hoc tamen pro certo affirmari potest, cautius eos agere debuisse quam trigintaviros, quibus milites Spartani auxilio essent.

Quam ob rem si tunc nulla fuere iudicia, non propterea ne sub quadringentis quidem ea fuisse, sumere nos necesse est.

Praeterea id ipsum, quod de trigintaviris contendit M.S., non verum esse mihi videtur. Effecit id ex Isocratis oratione contra Euthynun § 7: *πρὸς δὲ τούτοις ἀκαταστάτως ἐχόντων τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ δικῶν οὐκ οὐσῶν*; at his verbis rhetorum more rem augeri, ostendere conabor.

In eadem enim oratione legimus (paullo post): *ὅτε γὰρ τὸ ἔγκλημα ἐγένετο, Ὀλιγαρχία καθειστήκει* et *ὥστε μὴ περὶ τοῦτ' εἶναι Νικίᾳ, ὅπως συκοφαντῶν τἀλλότρια λήψοιτο* et *τὸν δ' οὐκ εἰκὸς, ὅτε οὐδ' οἷς δικαίως ὠφείλετο οἷόν τ' ἦν πράττεσθαι, τότε ἀδίκως ἐγκαλοῦντα οἴεσθαί τι λήψεσθαι.* Et certius etiam praebet argumentum Lysiae oratio contra Agoratum (13, § 35—38).

Praeterea Xen. Hell. II, 3, 8 legimus a trigintaviris omnes delatores comprehensos, capitis arcessitos esse καὶ ἥ τε βουλὴ ἡδέως αὐτῶν κατεψηφίζετο [1]). Et eiusdem capitis § 20 novae legis mentio fit: ἔστι δὲ ἐν τοῖς καινοῖς νόμοις, τῶν μὲν ἐν τοῖς τρισχιλίοις ὄντων μηδένα ἀποθνήσκειν ἄνευ τῆς ὑμετέρας ψήφου, τῶν δ' ἔξω τοῦ καταλόγου κυρίους εἶναι τοὺς τριάκοντα θανατοῦν. Postremo laudo II, 4, 6, ubi dicit Critias: τῶν οὖν ξυνειλεγμένων Ἐλευσινίων καταψηφιστέον ἐστὶν... δείξας δέ τι χωρίον, ἐς τοῦτο ἐκέλευσε φανερὰν φέρειν τὴν ψῆφον. Aristoteles quidem dicit (Ἀθην. Πολ. c. 35): καὶ τὸ κῦρος ὃ ἦν ἐν τοῖς δικασταῖς κατέλυσαν, sed inde sequi mihi non videtur, prorsus sublata esse iudicia, neque capite 41, ubi legimus, quae post populare imperium anno 403 institutum facta sint, denuo ea instituta esse narrat. Atqui si ne sub trigintaviris quidem sublata sunt, nullo modo ponere licet, anno 411 factum id esse. Neque ulla rei fit mentio in cap. 30 sqq., ubi civitatis mutationes huius anni describuntur.

Quod autem ad ecclesias pertinet, sub quadringentorum senatu eas habitas non esse, narrat Thucydides VIII, 92, 11. At nil mirandum est, si verba ψήφου ἐπενεχθείσης [2]) falsam referunt opinionem, nam duas explicationes Philostrato notas fuisse, ex eius verbis patet; quarum alteram igitur falsam esse, necesse est. Fortasse annotatio aliqua, condemnatum esse Protagoram e Diopithis psephismate [3]) perversae eius opinionis causa fuit.

Narrat autem idem Philostratus [4]), Protagoram parva

---

1) Non me latet, his locis non de heliaea sed de senatu agi; sed hoc tantum ostendere conatus sum, fieri potuisse sub trigintaviris, ut accusaretur aliquis et condemnaretur, inde autem suspicor, anno 411 non alium rerum fuisse statum, itaque probavi, verbum κριθείς, quo utitur Philostratus de Protagora, optime dici potuisse de quadringentorum temporibus.

2) Cic. d. Nat. Deor. I, 23: „Atheniensium iussu.", Minuc. Fel. Oct. 8, 3: „in contione."

3) εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας.

4) Cf. Diog. Laert. IX, 8, 7.

nave mare traiecisse, ut evitaret Atheniensium triremes „per omnia maria sparsas". Quae non de anno 411, sed optime de anno 415 dici potuisse, contendit M.S.

Et sine dubio anno 415 multo firmior fuit classis Atheniensis. Attamen fieri non potuit, ut tunc in Siciliam fugeret Protagoras. Nam in Graecia pax etiam erat; in Thracia tantummodo affuisse classem, credibile est, sed non vastabantur Peloponnesi litora, nullae in Archipelago insulae obsidebantur. Ante Syracusas tantum maxima erat Atheniensium classis. Quomodo igitur tam stultus fuisset Protagoras, ut eo fugeret, cum classem evitare cuperet?

Aliter tamen se habebant res anno 411; cum Siciliam totam deseruissent Athenienses et maior sociorum pars defecisset; quam ob causam magna classis contra Asiae Minoris litora missa erat. Nonne tunc triremibus Atheniensibus tecta fuisse dici possunt maria, cum in mari, quod κατ' ἐξοχήν Graecum dici solet, tanta navigaret classis [1])? Nonne facile intellegimus, tunc in Siciliam fugisse philosophum [2])?

Ostendi, ut mihi videor, veri dissimile esse, anno 415 condemnatum esse Protagoram, anno tamen 411 nihil obstare. Ergo ex Protagorae iudicio explicari nequit Diagorae in Aristophanis versu mentio, sed alia rei causa est quaerenda. Quod antequam faciam in causas inquirere volo, quae Fritzschium perduxerunt, ut et scholiastas et Diodorum Diagoram pro Protagora scripsisse, sumeret.

„Pindari et Simonidis (ait) fere aequalem fuisse Diagoram, e scholio ad Ran. v. 320 et e Suida s. v. Διαγόρας colligitur. Melanthius in libro suo de mysteriis exemplar dedit aereae stelae, ἐν ᾗ ἐπεκήρυξαν (Ἀθηναῖοι) καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς <μὴ> ἐκδιδόντας Πελλανεῖς [3]). Hoc igitur psephisma

---

1) „Die übertreibung in anschlag gebracht" (p. 86).

2) In aqua periisse Protagoram, e Platone constat (Theaet. p. 171, c.), ut iure contendit M.S.

3) Schol. ad Av. v. 1073. Vocem μὴ inseruerunt Fritzsche et Meier.

pacis tempore editum esse oportet. Nam bello Peloponnesio minime psephismatis sed armis res gerebatur; constat autem, Pellenenses a Lacedaemoniorum partibus stetisse (Thuc. II, 9, VIII, 3). Quid quod Athenienses Peloponnesiis quoque persuaserunt, ut in huius ipsius psephismatis societatem venirent, teste scholiasta ad Ran. v. 320. Atqui id quidem bello saeviente fieri nequaquam potuisse etiam caeco apparebit." Praeterea Lysiam [1]) Diagorae mentionem facere dicit, „non ut aequalis sed ut iamdudum mortui." Neque ab Andocide eum nominari inter eos, qui Mercurios mutilaverunt et mysteria profanarunt. Postremo e Socratis cognomine ὁ Μήλιος in Nubibus sequi, ante annum 423 Athenas venisse Diagoram, fortasse etiam, eum tunc condemnatum fuisse.

Talem autem Avium loci dedit explicationem: „Vanissimum Atheniensium timorem (Thuc. VI, 60) facetissime poeta irridet, ita ut non solum simile psephisma Philocrati aucupi nullius noxae comperto minitari se fingat, verum etiam Diagoram tyrannosque mortuos illos ac dudum sepultos proposito praemio iterum occidi iubeat" [2]). At reicit hanc interpretationem M.S., quia iocosis verbis comici de tyrannis edictum respici putat, nuper contra eos, qui mysteria profanarant, promulgatum, ex Thucydide enim VI, 60, 1 apparere post facinus illud tyrannidem metuisse Athenienses [3]); hinc igitur ea quoque, quae de Diagora ab

---

1) Adversus Andocidem § 17.

2) Cf. Kockium ad Av. v. 1071: „die neulich beschlossene Aechtung der entflohenen Hermokopiden und Mysterienschänder ist ebenso vernünftig, wie wenn man auf des längst entwichenen (oder gestorbenen) Diagoras Kopf einen Preis setzen oder die gleichfalls längst todten Peisistratiden für vogelfrei erklären wollte."

3) „Mit dem spöttischen zusatz τῶν τεθνηκότων (ait p. 84) hat er natürlicherweise die Peisistratiden im sinne, wie ja auch das volk durch diese frevel an das emporkommen und die herrschaft dieser familie erinnert ward, nach Thuk. VI, 60."

Non habeo, quomodo haec conciliem cum iis, quae scripsit Arist. u. d.

Aristophane dicuntur, ad recens aliquod edictum referenda esse arbitratur.

Ergo quod ad Aristophanis de tyrannis verba attinet, M.S. non dissentit a Fritzschio; quod vero ea quoque, quae de Diagora apud comicum leguntur, ad edictum nuper constitutum pertinere arbitratur, errare mihi videtur; nam falsa usus est argumentatione (p. 84): „So gewis nun in den worten ἦν - ἀποκτείνῃ die anspielung auf einen wirklichen und zwar ganz vor kurzem erlassenen volksbeschluss liegt, eben so gewis musz auch in dem ersten satz die beziehung auf eine neuerdings (das beweist schon das τῇδε θἠμέρᾳ) erlassene achtserklärung gegen eine bestimmte person liegen."

Verba autem literis diductis expressa falsa sunt. Nam neque eos, in quos alterum edictum erat constitutum, nominavit poeta.

Nonnisi hoc dicit Aristophanes: „Insana vestra sunt edicta", quod ut probet, duo laudat et deridet exempla, in impios et in eos, qui tyrannidem constituere velint.

Nunc autem de Fritzschii argumentis videamus.

Diagoram mysteriorum profanandorum participem non fuisse, fere certum esse mihi videtur ob Andocidis et Lysiae illas orationes [1]). At nonne turbulentis iis temporibus nihilominus ob notam suam ἀσέβειαν condemnari potuit? Et cur non sumere licet, ante annum 423 Athenas venisse eum et annos aliquot ibi degisse, antequam reus fieret [2])?

Atque quod contendit Fritzsche, bello saeviente a Peloponnesiis, ut traderetur fugitivus, postulare non potuisse

---

Hist. Krit. p. 534 sqq.; vide imprimis haec: „die seltsamsten ‚tieferen Bezüge' zwischen dem Hermenfrevel nebst der aus demselben entstandenen Furcht vor einer Tyrannis u. s. w."

1) Iniuria tamen dixit Fritsche, e Lysiae oratione effici posse, tunc (Ol. 94, 3) iamdudum mortuum fuisse Diagoram. Hoc tantummodo inde sequitur, tunc non amplius eum inter vivos fuisse.

2) Quidquid id est, e Nubium versu sequitur, Athenis degisse Diagoram. Nam si Meli habitasset, tam bene eum novisse Athenienses non crediderim.

Athenienses, optimo iure ei obiecit M.S., tunc pacem fuisse in Graecia [1]), quam tunc demum violatam esse narrat Thucydides VI, 105, 2, cum anno 414 ad Laconicae litus classem appulissent Athenienses.

Postremo Pindari aequalem fuisse Diagoram nostrum, ne hoc quidem certum est. „Utrum necne (rogat Blaydes ad Ran. v. 320) Diagoras ὁ ἄθεος idem fuerit atque Diagoras Melius [2]), Pindari et Simonidis coaevus, qui lyricus poeta fuit et in deorum honorem carmina scripsit, non liquet. Si idem fuit, opinionem eum suam de diis rebusque divinis postea mutasse, existimandum erit."

Ostendi, Fritzschii argumenta non tam certa esse, quae statim nobis persuadere debeant, cum praesertim dissentiant scholiastae (ad Avium locum), qui e bonis hauserunt fontibus. Sine dubio multa quoque, quae aperte falsa sunt, in iis legimus, e. g. ubi Meli expugnatio cum Diagora coniungitur; sed cum etiam inscriptionum collectio, vel ipsius inscriptionis exemplar in iis laudetur, non temere reicienda esse eorum testimonia, satis apparet.

Contendit quidem M.S. (p. 93), non curanda esse additamenta, qualia sunt ὥς φησι Φιλόχορος vel οὕτως Θουκυδίδης, sed alibi ipse multam dedit operam, ut librariorum errore malo loco ea adscripta esse ostenderet [3]).

Neque sumere ausim, temere hic Melanthii et Crateri nomina addita esse, quia scholiastae e variis fontibus eadem referunt.

Praeterea et a Diodoro et a scriptoribus Christianis per-

---

1) Duo tamen loci, quos attulit M.S. p. 94 sq., ut vel bello saeviente similia facta esse ostenderet, nihil probant.

2) Attamen sumendum est, utrumque Diagoram Meli fuisse natum.

3) Vid. Fleck. Ann. 1882, p. 322—326; Thuk. Forsch. p. 201 sqq., ubi scholiasta ad Luciani Timonem laudato, quem doctum multarumque literarum virum vocat, cuius observationes minime sint spernendae, ut eius verba οὕτως Θουκυδίδης explicaret, audacem construxit hypothesin; Arist. u. d. Hist. Krit. p. 120 sqq.

mutatos esse duos philosophos, ponas necesse est, si Muellero assentiaris (cf. M.S. p. 92 sq.).

Haereo igitur neque scio, utrum Fritzschii argumentis, non certis quidem sed profecto non spernendis cedam, an scholiastarum bonorum auctoritati.

At si his fidendum est, Avium locus alia ratione explicandus est: „Hodie edicta vos promulgatis in Diagoram et in tyrannos — in mortuos scilicet, i. e. nec Diagoras ille nec viri, quos tyrannidem petere suspicamini, magis vobis nocebunt quam Pisistratidae iamdudum mortui." Cur patriae nomen addiderit poeta, duas causas excogitare possum; aut enim decretorum copiosum stilum imitatus est, aut turpi illo cognomine [1]) Diagorae peccati admonere voluit.

Non tamen negare possum, Fritzschii interpretationem laeviorem esse.

---

1) Scilicet, quod turpe ducebat vulgus; ipsum vero Aristophanem nimium tale odium existimavisse, demonstravit M.S. p. 102 sqq.

VII.

De Mytilenae defectione (Thukydideische Forschungen, p. 99—243).

In hoc libro, quem edidit M.S. anno 1881, plurimos scriptoris locos difficiles tractavit, eodem modo, quo anno 1879 in Gymnasiorum Austriacorum Annalibus; sed maior eius pars de Lesbi defectione agit.

Iam pridem, anno 1873, „suppressionis veri" Thucydidem accusaverat et res in Thracia gestas eum consulto neglexisse contenderat [1]).

Quas accusationes Thucydidis cultorum animos vehementer percussisse, facile intellegitur: at etiamsi omnia vera essent, quae M.S. in primo opere perhibuit, non tamen omnem fidem ideo historico abrogari necesse erat. Nunc aliter res se habet, nam si iusta crimina sunt omnia, quae vituperavit in Thucydidis de Mytilenaeis, de Plataeensibus [2]), de Corcyraeis [3]) narrationibus, nihil huic scriptori credidisse satius fuerit; sic vero, dum res et homines aevi Thucydidei cognoscere conamur, perpetuo fere inopes consilii erimus, quo nos vertamus, non habentes. Tum non modo cum Vischero exclamandum erit: „Also Thukydides hat

1) Aristoph. u. d. Hist. Krit. p. 466 sqq.
2) Vid. infra cap. X.
3) Vid. infra cap. XI.

nicht grade das Faktische verdreht, so viel bleibt uns noch von ihm übrig, wir können ihn etwa dazu brauchen, um zu erfahren, wie viel Schiffe in einer Seeschlacht einander gegenüber gestanden, den politischen Zustand Griechenlands aber, den wir bis dahin mit Meisterhand von ihm gezeichnet glaubten, sei keiner mehr so thöricht aus ihm kennen lernen zu wollen;" sed ne talia quidem ex veritate eum nobis rettulisse, constabit; neque M.S. amplius nobis obicere poterit: „dasz wir das Kind mit dem Bade ausschütten" [1]).

Nam hypotheses illas de editore nimis accurato [2]), vel de interpolatore sanguinem sitiente [3]) ipse abicere fere paratum se esse confitetur, ut culpam, quam olim eiusmodi hominibus imputavit, in ipsum Thucydidem conferat [4]).

Quae autem de Lesbi defectione scripsit M.S., in ea nunc inquirere volo.

Varia operis Thucydidei episodia, a ceteris partibus separata, in grammaticorum scholis lecta et explicata esse, suspicatur, et inde plurimis vitiis, interpolationibus, lacunis scatere; cuius rei exemplum esse Mytilenaeorum historiam (Thuc. III, 2—19 et 25—50).

Primus locus, quem vituperat, est III, 3, 3: ἐσηγγέλθη γὰρ αὐτοῖς ὡς εἴη Ἀπόλλωνος Μαλόεντος ἔξω τῆς πόλεως ἑορτή, ἐν ᾗ πανδημὶ Μυτιληναῖοι ἑορτάζουσι, καὶ ἐλπίδα εἶναι ἐπειχθέντας ἐπιπεσεῖν ἄφνω, καὶ ἢν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα, — εἰ δὲ μή, Μυτιληναίοις εἰπεῖν ναῦς τε παραδοῦναι καὶ τείχη καθελεῖν, μὴ πειθομένων δὲ πολεμεῖν. In his verbis Muellerum offendit τὸ ἀνανταπόδοτον; quod tamen (ait) non urgeret, si modo intellegere posset, quae illa fuerit πεῖρα [5]). Nam quod

1) Aristoph. u. d. Hist. Krit. p. 483.

2) Vid. infra cap. XI et Wilamowitzii Curas Thucydideas.

3) „der blutdürstige Interpolator."

4) Fleckeis. Jahrb. 1886, p. 623.

5) „Indess so wenig Thukydideisch mir eine solche Saloperie der Sprache auch erscheint, ich würde mir nichts daraus machen, wüsste ich nur, was das denn für eine πεῖρα war." p. 103.

Thucydides ἔξω τῆς πόλεως id festum cotannis celebrari narret, inde satis apparere, prope urbem factum id esse; quod si verum est, fieri non potuisse, quin Mytilenaei, Atheniensium classe conspecta, celeriter in urbem redeuntes, multo ante hostium adventum, aditum prohiberent et defensionem pararent.

At, quaero, nobisne licet antiqui scriptoris verba temere reicere, quae neque aliis narrationibus neque probabilitati repugnent? Nam cur verba ἔξω τῆς πόλεως „prope urbem" significare sumat M.S., non capio; neque cur non ab altera parte appropinquare potuerint hostium naves. Non enim, puto, credibile est, Mytilenaeos, qui periculum sibi instare ne suspicarentur quidem, speculatores undique habuisse dispositos. Viro autem illi Mytilenaeo, cuius mentionem fecit Thucydides § 5, satis periculosum visum est Atheniensium consilium, nam quam celerrime Lesbum, ut rem nuntiaret, traiecit; neque Mytilenaei ipsi rem neglegendam duxerunt, qui festum non celebraverint (§ 6).

At fac insanam fuisse illam πεῖραν, ideone πεῖρα non fuit? Ipsum autem vocabulum, quod Kruegerum quoque offendit, satis tueri mihi videntur loci, quales sunt Aesch. Pers. v. 719, Soph. Ai. v. 290, Electr. v. 471.

Postremo quod ad τὸ ἀνανταπόδοτον pertinet, verum est, quod observavit M.S., ceteris locis [1]) in orationibus figura ea usos esse scriptores. Item res se habet duobus Aristophanis locis, Thesmoph. v. 537, Plut. v. 470. In colloquio autem vel in oratione multo mitior est eiusmodi ellipsis, quippe quae faciei manusve motu illustrari et veluti suppleri possit.

At in Thucydide quoque fortasse ipsa nuntii verba legimus; quod si verum est, locus hic a ceteris prorsus non differt. Praeterea quamdiu de Thucydidis contextu parum certum est, utrum ab ipso sit scriptus, an ab editore consutus, an ab ipso auctore non perfectus, summa cau-

1) Hom. Iliad. A. 135, Xen. Anab. VII, 7, 15. Plat. Symp. p. 185 D.

tione est utendum in locutionibus insolitis damnandis.

Sententiae autem tripertitae optime respondent ea, quae sequuntur 4, 1.

1 καὶ ἐλπίδα εἶναι ἐπειχθέντας ἐπιπεσεῖν ἄφνω,	καὶ οἱ Ἀθηναῖοι οὐ πολὺ ὕστερον καταπλεύσαντες,
2 εἰ δὲ μὴ, Μυτιληναίοις εἰπεῖν ναῦς τε παραδοῦναι καὶ τείχη καθελεῖν,	ἀπήγγειλαν μὲν οἱ στρατηγοὶ τὰ ἐπεσταλμένα,
3 μὴ πειθομένων δὲ πολεμεῖν.	οὐκ ἐσακουόντων δὲ τῶν Μυτιληναίων ἐς πόλεμον καθίσταντο.

Denique, quod attinet ad locum IV, 13, 3: ἀνήγοντο, ἐὰν μὲν ἀντεκπλεῖν ἐθέλωσι σφίσιν ἐς τὴν εὐρυχωρίαν, εἰ δὲ μὴ ὡς αὐτοὶ ἐπεσπλευσούμενοι, quem Classen, qui parallelum esse antea opinabatur, nunc aliter explicare conatus est, nescio an interpretatio, quae τὸ ἀναντιπόδοτον ponit, simplicior et melior sit; sin minus, cur non ad huius loci exemplum verba a Muellero vituperata emendavit, deleta voce καὶ ante ἦν? Sunt enim arte cognati hi loci.

Verbum addere volo de iis, quae scripsit M.S. de Badhamio, unde apparet, ne Muellerum quidem vitium omnibus hominibus innatum, iactandi et augendi scilicet, semper evitare potuisse, licet primo suo libro verba: „Nur keine Phrasen" praemiserit. Legimus enim p. 104: „Dass die Stelle nicht gesund ist und dass eine Lücke anzunehmen ist, das hat auch der scharfsinnige Badham wohl gefühlt, und schlägt daher vor, die Lücke so zu ergänzen: καὶ ἐλπίδα εἶναι ἐπειχθέντας [1]) <ἐπιπεσεῖσθαι ἀπροσδοκήτοις τοῖς Μυτιληναίοις καὶ αἱρήσειν τὴν πόλιν. προσετάχθη οὖν αὐτοῖς ἐπειχθέντας> ἐπιπεσεῖν ἄφνω κ. τ. ἑ. Dies u. s. w. wundert mich, denn meiner Meinung nach kommt nun erst die Hauptschwierigkeit."

Equidem contra miror, id contendere potuisse Muellerum. Imo e literis κ. τ. ἑ. patet, vitium, quod M.S. carpsit, non

1) Apud Herwerdenium hoc lego: „Badham post εἶναι intercidisse coniecit verba ἐπιπεσεῖσθαι - αὐτοῖς." Utrum verum sit, ignoro.

vidisse Badhamium, sed hanc sententiae partem sanam duxisse. Quod autem ad verba attinet, quae ei inserenda esse videntur, iis opus non est, sed ideo ea addidit, quod post verba sperandi futurum requiratur tempus. At ego potius sumerem, verbum ἐπιπεσεῖν corruptum esse, quam tot verba supervacanea scripsisse Thucydidem. Et fortasse contextum tuetur aoristi temporis usus post locutionem εἰκός ἐστι = probabile est.

Deinde Alcidam Lesbum navigantem comitatur M.S. et multas de hoc itinere annotationes a probabilitate abhorrere, ostendit; num tamen emendationibus et explicationibus suis difficultates sustulerit, dubito.

Primus locus legitur III, 29, 1. Οἱ δ' ἐν ταῖς τεσσαράκοντα ναυσὶ Πελοποννήσιοι, οὓς ἔδει ἐν τάχει παραγενέσθαι, πλέοντες περί τε αὐτὴν τὴν Πελοπόννησον ἐνδιέτριψαν καὶ κατὰ τὸν ἄλλον πλοῦν σχολαῖοι κομισθέντες τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι, πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον, προσμίξαντες δ' ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ πυνθάνονται πρῶτον ὅτι ἡ Μυτιλήνη ἐάλωκεν. Verba autem τοὺς μὲν - ἔσχον sine dubio corrupta sunt. Iure enim contendit v. Velsen, nihil ea significare posse, nisi hoc, prope Delum Alcidam ab Atheniensibus conspectum esse; quod cum factum non esse ex iis, quae sequuntur, pateat, nonnulla excidisse arbitratur, lacunam autem ita fere esse explendam: <καὶ οὐδὲν τῶν γενομένων ὑποπτεύουσι> πρὶν δὴ κ. τ. ἑ., de qua emendatione infra agam.

Herbstium autem, qui sanum esse locum arbitratur, M.S. optime impugnavisse mihi videtur. Nempe Herbst suspicatur, verbis τοὺς ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους indicari milites navium centum illarum, quarum mentionem fecit Thucydides III, 16, 1; nam si ad quemlibet Atheniensium, qui in urbe et prope urbem essent, ea verba pertineant, lentam Alcidae navigationem explicari non posse [1]); talem autem

---

1) „wenn die ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναῖοι beliebige Athener in und um Athen seien, dass dann die Erzählung von der langsamen Fahrt des Alkidas in Bezug auf diese ganz unverständlich sei." ap. M.S. p. 116.

civium et inquilinorum exercitum, qualis in classe erat, nunquam procul a patria missum esse [1]).

At hoc falsum esse, ostendit M.S. p. 118 [2]), classem autem eam Atheniensium tunc non amplius adfuisse, quippe quae praecedenti anno et enavigavisset et domum revertisset (III, 16, 3).

Οἱ ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναῖοι ii fuerunt, qui in urbe vel in litore essent, qui navibus Athenas redirent vel inde proficiscerentur, vel qui Salaminem custodirent, ut iure contendit M.S.; deinceps vero hoc modo ratiocinatur: Quoniam eos latere voluit Alcidas et re vera latuit, non lente sed celeriter navigandum erat; pro voce σχολαῖοι scribatur igitur σπουδαῖοι [3]); quae vero tradita accepimus, absurda sunt verba: „verborgen dadurch dass sie langsam fuhren."

At si participium κομισθέντες ita vertimus: „quanquam lente navigabant," nonne optima sententia prodit? Talis autem participii usus exempla laudo III, 5, 2: μάχῃ .... ἐν ᾗ οὐκ ἔλασσον ἔχοντες οἱ Μυτιληναῖοι, οὔτ' ἐπηυλίσαντο κ.τ.ἑ., i. e. etsi victi non erant, et III, 79, 2: οἱ δ' ἐπὶ μὲν τὴν πόλιν οὐκ ἐτόλμησαν πλεῦσαι κρατοῦντες τῇ ναυμαχίᾳ κ. τ. ἑ., i. e. quanquam vicerant.

Vox autem σπουδαῖοι ne ferri quidem potest propter particularum τε... καὶ oppositionem: et circa Peloponnesum navigantes cunctabantur et ceteroquin lente progredientes. Si enim σπουδαῖοι vera esset lectio, hunc in modum scripsisset Thucydides: περὶ μὲν τὴν Πελοπόννησον .... κατὰ δὲ τὸν ἄλλον πλοῦν. Quid quod ne Graecum quidem esset id, quod proposuit M.S., nam σπουδαῖος de rebus seriis ho-

---

1) „mit diesem Ausdruck ἐκ τῆς πόλεως bezeichnet Thukydides ein Heer, das aus den eigenen Bürgern (auch Metöken) der Stadt selbst gebildet ist.... Als ein bürgerliches Heer, entfernt sich das nicht auf weite Expeditionen, sondern bleibt in der Nähe der Heimat." ap. M.S. p. 118.

2) Sic Socratis exemplum laudavit, qui ante Potidaeam stipendia meruit

3) Utrumque adiectivum in Thucydidis opere est ἅπαξ εἰρημένον. Mutasse vocabulum Muellero videtur librarius, qui, cum circa Peloponnesum lente navigasset Alcidas, postea quoque cunctatum eum esse, opinaretur.

minibusve seria agentibus adhiberi solet, de festinatione non item; oppositum non est σχολαῖος sed παίζων.

Deinde rogat M.S.: „Cur Deli fit mentio? Nam antea quoque, simulac inter Cycladas venerant, tuti erant; praeterea appellere non potuerunt ad Delum, inimicam sibi insulam." Quas ob causas Melum scripsisse Thucydidem suspicatur, in quam insulam Antisthenes quoque anno 412 se vertit (Thuc. VIII, 39, 3).

At manet eadem difficultas, quam tollere conatus est v. Velsen.

Addidit M.S. annotationem de particula δή (p. 125), quam neglegere possum, quoniam ipsa emendatio non probanda esse mihi videtur; attamen pauca de ea dicere volo ob disputandi rationem, quae a vera scientia abhorrere mihi videatur.

Saepe autem novorum librorum auctores, imprimis, qui iuvenili essent aetate, vituperari vidi, quod durius de viris celeberrimis iudicium aperte protulissent. Summa, ut mihi videtur, iniuria. Nam vel maximi ingenii homines nonnunquam in gravissimos inciderunt errores. Quos qui deprehendit, nullo modo aetate sua prohiberi debet, quominus liberum e corde expromat iudicium. Nonne enim ceteroquin eundem venerari potest? An caecus amor, ut talis viri vel vitia probemus, certe excusemus, inducere nos debet? Libere igitur dicam, quod sentio: indigna est nostra arte, indigna ipso Muellero est disputandi ratio, qua in hac annotatione usus est; nam postquam in ironica particulae δή significatione repperisse sibi visus est „ein leises Indiz für die beinahe gleichzeitige Abfassung dieser Stelle", haec addit: „Freilich sollte man sich eigentlich hüten mit solchen Bemerkungen vorzutreten! Sie sind, was Shakespeare nennt, caviare to the general, und man riskirt, von stumpfen Geistern, die nichts wahrnehmen, was ihnen nicht faustdick unter die Nase gerieben wird, mit einem difficile est satiram non scribere oder einem risum teneatis amici ihrer zahlreichen, ich möchte sagen, durch

die Freimaurerei der Mittelmässigkeit verbundenen Brüderschaft als ein närrischer Träumer denunzirt zu werden." Nonne ludimagistrum hic loqui credas, qui cum ad molestas puerorum quaestiones respondere nequeat, poenas iis minetur, simulac os aperuerint?

Sed ad Alcidam revertamur, qui interea Delo vel Melo navigavit Icarum et Myconum, quod hysteronproteron hunc in modum explicat M.S.: „Icari (ait) Athenienses Peloponnesiorum classem primum viderunt [1]); quam ob causam auctor, cui illud τοὺς ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσιν in mente etiam esset, insulam, ubi eos viderint, priorem nominavit. Da aber dies Gesehenwerden keine unmittelbaren Folgen hatte, so geht er darauf hier noch nicht ein und sagt gleich, was ihm für jetzt wichtiger war, dass und wo sie die Nachricht vom Fall von Mytilene erhalten haben, wodurch dann allerdings die nähere Insel nach der entfernteren genannt wird" (p. 126).

Quae ut nimis quaesita probanda non esse censeo. Nam quod ad Icarum eos viderunt Athenienses, hoc si verum est, nam minime certa est res [2]), capite demum 33 narratur.

Quae igitur offendit Velsenium difficultas, eam neque sustulit M.S., neque explicavit Herbst; sed ne ipse quidem v. Velsen eam removit. Quem, verba καὶ οὐδὲν τῶν γενομένων ὑποπτεύουσιν inserentem, rogo, cur Deli ὑποπτεύειν coeperint Peloponnesii, qui Icari demum cognoverint, Mytilenam expugnatam esse? Praeterea verbis iis additis tollitur oppositio particularum μὲν et δὲ: „latuerunt quidem ... sed calamitatem audiunt" [3]).

Certiores autem nuntios ut conquireret usque ad Embatum navigavit Alcidas (III, 29, 2), cognita vero clade non obtemperavit Teutiaplo, ut recta Mytilenen tenderet et Athenienses aggrederetur suadenti, sed praeter litus

---

1) Vid. infra.
2) Vid. infra.
3) Haec Herbstii prudens est observatio.

Myonnesum pergit, deinde Ephesum; inde ἔπλει κατὰ τάχος καὶ φυγὴν ἐποιεῖτο (c. 33), cum in Atheniensium conspectum venisset et veritus, ne Paches se persequeretur, ἔπλει διὰ τοῦ πελάγους ὡς γῆ ἑκούσιος οὐ σχήσων ἀλλ' ἢ Πελοποννήσῳ.

Iure hic miratur M.S., quomodo Ephesi urbis Atheniensium sociae portum intrare potuerit Alcidas; quam ob causam suspicatur, in cap. 32 et 33 corruptum esse hoc nomen, cum a Thucydide commemorata esset insula Κόρησος (vel fortasse Κόρεσος), quae inter Myonnesum et Patmum (c. 33, 3) sita est. At rogare velim, hunc igitur portum quomodo intrare potuerit et victus ibi emere? Nam haec quoque insula Atheniensium fuit socia [1]).

Praeterea primo litus praeternavigasse dicitur Alcidas et inde ab Epheso demum per mare altum tetendisse; at verbo παραπλεῖν uti non poterat Thucydides, si Coresum traiecit Lacedaemoniorum dux, quo nonnisi per mare altum venire potuit (quod M.S. quoque contendit).

Neque si Coresum traiecit Alcidas, Κλάρου mentio (c. 33, 1) ferenda est. Quam ob rem hoc quoque nomen corruptum esse contendit M.S., legendum autem esse Ἴκαρον. At cur id, quod ad Icarum se vidissent Athenienses, tunc demum virum movere potuit [2]), ut litore relicto mare altum peteret? Cur tunc demum φυγὴν ἐποιεῖτο, δεδιὼς τὴν δίωξιν? Neque hoc quadrat cum eo, quod antea narravit Thucydides (c. 29), Icaro Embatum eum traiecisse, ut de Mytilenae sorte certior fieret. Unde statim domum eum fugisse, verisimile est, si urbem captam esse audivisset, neque Athenienses amplius latere se sciret.

Paches autem adesse classem Peloponnesiacam si com-

---

1) „Damals (412) war Melos in der Gewalt der Athener, sie (Spartani) konnten also nicht einlaufen in den Hafen", dixit M.S. p. 125. Atqui si tunc id non licuit, quomodo credibile est, anno 428 intravisse eos et in Coresi portum et in Icari et in Embati? Cf. Thuc. VIII, 19, 3 et M.S. in Fleck. Ann. 1879, p. 157.

2) Et cur non antea rei mentionem fecit Thucydides, cum Alcidas Icari esset?

perit, dum haec Icari, in proxima igitur vicinia, versabatur, cur eam non consecutus est? Nam *ὑπὸ σπουδῆς ἐποιεῖτο τὴν δίωξιν.*

Salaminiae autem nuntium omnium ultimum ad Pachetem pervenisse, inde apparet, quod navis haec et Alcidam, ut fugeret, movit et Pachetem, ut eum persequeretur. Ipse autem Thucydides, ultimum hunc fuisse nuntium, disertis verbis narrat (c. 33, 2): Et ex urbe Erythraea et aliunde cum Pacheti res nuntiata esset, Paralus et Salaminia *αὐτάγγελοι* rettulerunt, ad Clarum Alcidam se vidisse. Quae verba delet quidem M.S., quod idem dictum sit in § 1: *ὤφθη γὰρ ὑπὸ τῆς Σαλαμινίας κ. τ. ἑ.*, iniuria tamen, nam ibi quae Alcidae acciderint narrat Thucydides, hic quae Pacheti. Classenii interpretatio locum optime illustrare mihi videtur: „*ἦλθε μὲν*, die erste noch flüchtige Nachricht, *ἀφικνεῖτο δὲ καὶ πανταχόθεν*, Imperfectum der wiederholten dringenden Botschaften: *αὐτάγγελοι . . . ἔφρασαν*, der auf eigener Anschauung beruhende und die einzelnen Umstände genau angebende Bericht" [1]).

Unum verbum addo. Nonne fidem superat, complura in unum hunc locum irrepsisse vitia, quae nullo modo sibi contradicant, sed alterum ab altero defendi videantur?

Sed ad graviora transeamus, nam hucusque non multam lucem attulit M.S.

In primo suo libro (p. 44) duos Thucydidis locos (III, 68, 2 et V, 32, 1) tractavit M.S. et nunc iterum de iis scribens [2]), ut Classenii crimina refelleret, pulchrum ingenii sui specimen praebuit.

Priore enim loco Thucydides refert, e Plataeensium captivis viros omnes interfectos esse a Lacedaemoniis, mu-

---

1) Neque vocabulum *αὐτάγγελος* offendere debet. Ceteri enim nuntios miserant, qui Alcidae adventum narrarent, naves vero illae ea, quae ipsae viderant, exposuerunt, non alii re mandata, sed ipsae statim pro nota sua celeritate ad Pachetem properaverunt.

2) Thuk. Forsch. p. 138—149.

lieres autem et infantes sub corona eos vendidisse; altero loco Athenienses Scione expugnata idem fecisse narrantur. „At (dixit M.S.) Plataeenses uxores suas et infantes post Thebanorum impetum Athenas misisse, ipse narrat Thucydides II, 6, 4 et II, 72, 2, et Scionaeorum uxores liberosque ex urbe Olynthum eduxisse Brasidam, legitur IV, 123, 4. Patet igitur, in utrumque locum (III, 68 et V, 32) emblemata irrepsisse." Delet igitur III, 68, 2 verba γυναῖκας δ' ἠνδραπόδισαν, V, 32, 1 verba τοὺς ἡβῶντας - ἠνδραπόδισαν.

Argumenta autem, quibus Muellerum impugnavit Classen (V, p. 185), facile refutavit noster [1]).

Nam CX mulieres σιτοποιοὺς non Plataeensium uxores, quod sumit Classen, sed servas fuisse, optime ostendit M.S., ea autem, quae de Scione obiecerat Classen [2]), iure derisit.

Talia autem emblemata vocavit M.S. „tendenziöse Interpolationen", quae inseruerit grammaticus quidam, ut civitati Atheniensium infamiam adspergeret [3]).

Sed aliud quoque interpolationum genus deprehendit: „die Fälschungen eines blutdürstigen Verleumders", quarum exempla in Mytilenaeorum defectionis narratione repperit. Nempe contendit, mille illos Mytilenaeos a Pachete Athenas missos (III, 50) ab Atheniensibus interfectos non esse [4]).

Summopere enim miratur, apud nullum praeterea scriptorem antiquum facinoris tam atrocis mentionem fieri; unde effecit, tot viros interfectos non esse, certe veri id esse dissimillimum. At praeterea alio modo certo certius

---

1) „Apologetenkunststücke zur Vertuschung der Ungenauigkeit" ea vocat (p. 145).

2) „Für Skione ist anzunehmen, dass die Fortschaffung der Kinder und Frauen durch Brasidas, da sie keine gewaltsame war, auch nicht vollständig durchgeführt worden ist."

3) At non Atheniensium modo odium earum interpolationum causa esse potuit, nam III, 68 Spartanorum fama roditur.

4) Haec est macula illa sanguinea, qua historiam Atheniensium purgaturum se esse, iam antea pollicitus est (Polem. Beitr. p. 40).

demonstraturum se pollicetur, factum id non esse. Quod si fecerit, primum illud argumentum inutile est; sin autem cetera eius argumenta non sufficere, ostendere potuero, ex eo silentio nonnisi efficere licet, Graecos illud facinus non reprehendisse.

Optimo autem iure dixit Grote, cuius verba attulit M.S. p. 156, omnium quidem Graecorum humanissimos fuisse Athenienses, sed talem, qualem nostrum aevum postulat, humanitatem neque illis neque ceteris Graecis fuisse insitam [1]).

Hanc autem Atheniensium crudelitatem in maius auxisse mihi videtur M.S. Nam licet Mytilenaei apud Thucydidem fere soli nominentur [2]), attamen obliviscendum non est, mille eos captivos ex quatuor urbibus Athenas missos esse; et haec, nisi fallor, fuit causa, cur Paches post ceteras demum urbes expugnatas Athenas eos miserit (vid. Thuc. III, 35, 1).

Atque Melios quidem vix quingentos interfectos esse computavit, Scionae autem 500 milites Peloponnesios et 300 peltastas Chalcidicos trucidatos esse, ob quae facinora semper et ubique vituperati sint Athenienses. At, rogo, possuntne ita inter se comparari numeri? Nonne multo crudelius erat, quingentos omnes necare quam ex sex civium millibus (quot Lesbi incolas computavit Grote) sextam partem? Et quam ingens est discrimen inter bellorum causas! Melos sine iusta causa expugnata est, Scione a Brasida ad defectionem sollicita, imo coacta [3]) contra multo potentiores Athenienses diu se defendit. Lesbos vero, quae primum inter socios tenebat locum, omnino non

---

1) „The Athenians on the whole the most humane people in Greece, though humanity according to our ideas cannot be predicated of any Greeks."

2) „so sehr in den Vordergrund treten, dass von Eresos und den andern Städten kaum noch die Rede ist" p. 150.

3) Cf. Thuc. III, 39, 2, ubi ipse ille Cleon, qui cunctos Mytilenaeos morte dignos iudicavit, talibus ignosci posse dicit.

vexata, sponte defecit [1]). Iusta igitur Atheniensium fuit ira (Thuc. III, 36, 2), iusta insulae poena. Et hanc ob causam, opinor, ubicunque Meli Scionaeve mentio fit ut Atheniensium crudelitatis exemplorum, de Mytilenaeis tacetur [2]).

Ideo vel laudari potuerunt Athenienses, quod atrox decretum, ut omnes incolae necarentur, mutavissent [3]).

Apud Diodorum autem (XIII, 30) Gylippus prioris tantum plebisciti altero crudelioris Syracusanos admonuit, quo cum sontes tum insontes capite damnarentur, cum praesertim ipse quoque civibus, ut omnes interficerent captivos, persuadere vellet; alterum plebiscitum ei ignotum fuisse, hinc effici nequit.

Quod autem Diod. XII, 55 et scholiasta ad Aristoph. Equit. v. 834 rem omiserunt, quos locos ex Thucydide fluxisse, iure contendit M.S., non magni ponderis id esse mihi videtur, quoniam neque captivorum Athenas missorum mentionem fecerunt.

Nonne praeterea mite fere videri debuit alterum psephisma, cum prius tam saevum fuisset?

Denique ipse Thucydides locis duobus ad psephisma vel rogationem, ut captivi modo interficerentur, alludere mihi videtur: III, 36, 2: *καὶ ὑπ' ὀργῆς ἔδοξεν αὐτοῖς οὐ τοὺς παρόντας μόνον ἀποκτεῖναι ἀλλὰ καὶ τοὺς ἅπαντας* Μυτιληναίους *κ. τ. ἑ.* et III, 36, 4: *πόλιν ὅλην διαφθεῖραι μᾶλλον ἢ οὐ τοὺς αἰτίους*. Vid. etiam c. 39, 6: *καὶ μὴ τοῖς μὲν ὀλίγοις ἡ αἰτία προστεθῇ, τὸν δὲ δῆμον ἀπολύσητε* [4]).

---

1) Verum est quod Grote observavit, Mytilenaeorum legatos Olympiis nullas iustas contra Athenienses exprompsisse accusationes.

2) Xen. Hell. II, 2, 2, Isocrat. Panegyr. § 100, Panathen. § 63, Aelian. Var. Hist. II, 9, Strab. XIII, 2, § 3, Maxim. Tyr. Diss. XII, p. 223, Arrian. I, 8, Procop. ap. Boisson. Anecd. II, p. 86.

3) Ael. Aristid. Panathen. p. 259 Dind., Liban. Decl. II, p. 693 Morel: *ἐκκλησία δευτέρα καὶ Διοδότου λόγος ἐπιεικέστερος καὶ ψήφισμα ἐλύθη ψηφίσματι.*

4) Dionysii Halicarn. locus II, p. 144 Sylb. *τούς τε αἰχμαλώτους καὶ τοὺς ἄλλους* Μυτιληναίους *κ. τ. ἑ.* contra Muellerum afferri nequit, quoniam ante Dionysii aetatem locum Thucydideum corruptum esse opinatur.

Nunc autem videamus Muelleri argumentum, quo rem confici contendit p. 182 sqq. Praemisit hypothesin, quam ex tribus Thucydidis locis effecit, Mytilenae non multo ante rerum potitos esse optimates. At locorum Thucydideorum primum male explicavit. Nam III, 11, 6, contendunt Mytilenaeorum legati, *αὐτονομίαν* se vix hactenus servasse, neque per longum tempus eam mansuram fuisse, nisi bellum ortum esset [1]). Quae ita accepit M.S., quasi optimatium Lesbi potestatem periclitatam fuisse dicerent Mytilenaei, unde turbas in ea civitate fuisse tunc temporis, necdum firmum eorum fuisse imperium effecit. At nihil dicunt legati nisi hoc, Athenienses a minoribus incipientes, sensim sensimque omnes fere socios in potestatem suam redegisse. Intellexisse igitur Lesbios ex ceterorum exemplis, intra parvum temporis spatium se quoque et Chios subiectum iri, sive in paucorum sive in multorum manibus tunc apud eos esset summa potestas.

Secundus autem locus legitur III, 39, 4, ubi Cleon dicit: *εἴωθε δὲ τῶν πόλεων αἷς ἂν δι' ἐλαχίστου εὐπραγία ἔλθῃ, μάλιστα καὶ ἐς ὕβριν τρέπειν*, difficilius enim esse prosperitatem servare quam miseriam tolerare. Quoniam autem (ait M.S.) semper dives et potens fuit Mytilene, de ea haec verba dicta esse non est credibile, nisi spectent ad factionem, quae nuper rerum potita sit. At quis credat, Cleonem ducem partium popularium contendisse, in optimatium potestate civitatis *εὐπραγίαν* sitam esse [2]); si vero de factionis *εὐπραγίᾳ* loqueretur, non *πόλεων* dicere debebat sed *ἀνθρώπων*. Quid autem obstat, quominus *εὐπραγίαν* illam interpretemur maiorem urbis cultum, maiorem honorem? Tum illud *δι' ἐλαχίστου* optime explicari poterit, nam verisimile est, post Sami defectionem, cum bellum cum Sparta immineret, benevolentiores se erga ceteros socios praestitisse

---

1) *οὐ μέντοι ἐπὶ πολύ γ' ἂν ἐδοκοῦμεν δυνηθῆναι, εἰ μὴ ὁ πόλεμος ὅδε κατέστη, παραδείγμασι χρώμενοι τοῖς ἐς τοὺς ἄλλους.*

2) Cf. III, 39, 3 *ἡ παροῦσα εὐδαιμονία.*

Athenienses, metuentes ne huius insulae exemplum imitati cum Lacedaemoniis societatem inirent. Quid vero significant illa verba, si Lesbi inde ab anno 447 summa rerum potiti sunt optimates, quae Muelleri est opinio p. 184 sq.?

Tertius locus firmissimum Muelleri hypotheseos argumentum erit, si recipienda est eius coniectura de Cleonis verbis III, 39, 6, intercidisse praepositionem: οἷς γ' ἐξῆν ὡς ἡμᾶς τραπομένοις νῦν πάλιν ἐν τῇ πόλει <περι> εἶναι. At verba manifesto corrupta alii aliis modis sanare conati sunt, et res incerta est [1]).

Praeterea verisimilius est, de iis loqui Cleonem, quae defectionis tempore fecerit plebs Mytilenaea et de iis, quae ex ipsius opinione tunc facere debuerit: reprehendit enim eos, quod coniunctim cum optimatibus Athenienses sint aggressi (ὁμοίως ἐπέθεντο), nec vero quod optimatium dominium non sustulerint, quod iamdudum toleravissent et ipsi Athenienses probavissent.

Quid igitur ostendi? In insula Lesbo optimates anno 447 rerum potitos non esse sed fortasse inde ab anno 477 civitatem moderatos esse? Minime; sed argumenta, quibus ea Muelleri hypothesis nititur, reicienda esse, id tantummodo probare conatus sum et ideo haec scripsi, etsi cum defectionis historia non cohaerent [2]).

Exploremus igitur argumentum illud „positivum", quo hypothesis de captivis nititur. Hunc autem in modum res gestas esse suspicatur M.S. Antea etiam psephisma extitisse contendit, quod civitatis, quae defecisset, incolas omnes

---

1) Praeterea verbum περιεῖναι non significat: „die Oberhand haben" sed „superesse".

2) Ex Aristotelis de Atheniensium civitate libro (c. 24) fortasse efficere licet, anno 477 optimatium imperium Mytilenae fuisse. Ibi enim haec legimus: τοῖς τε συμμάχοις δεσποτικωτέρως ἐχρῶντο πλὴν Χίων καὶ Λεσβίων καὶ Σαμίων· τούτους δὲ φύλακας εἶχον τῆς ἀρχῆς, ἐῶντες τάς τε πολιτείας παρ' αὐτοῖς καὶ ἄρχειν ὧν ἔτυχον ἄρχοντες. Quae ultima verba nonnisi de optimatibus dici potuisse mihi videntur.

necari et venumdari iuberet; Cleonem igitur de Mytilenaeis nihil rogavisse, nisi ut lege ageretur. Quod effecit ex his locis: III, 40, 2, ἐγὼ μὲν οὖν καὶ τότε [πρῶτον] καὶ νῦν διαμάχομαι μὴ μεταγνῶναι ὑμᾶς τὰ προδεδογμένα [1]) et ex III, 37, 1, πολλάκις μὲν ἤδη ἔγωγε καὶ ἄλλοτε ἔγνων δημοκρατίαν ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἑτέρων ἄρχειν, μάλιστα δ' ἐν τῇ νῦν ὑμετέρᾳ περὶ Μυτιληναίων μεταμελείᾳ; de quo loco hoc addit p. 189: „Quoniam Cleon eandem quam pridie habet opinionem, praecedenti quoque die de psephismate aliquo revocando egisse Athenienses, necesse est" [2]). Deinde cum Cleon eiusdem capitis § 3 docet, legibus oboediendum esse, neque neglegendas neque mutandas eas esse, his verbis veram legem vel psephisma respicere Muellero videtur.

Quod autem ad ultimum pertinet argumentum, aptissima mihi videntur Cleonis ea verba, si iis respicitur decretum, quod cum pridie fecissent cives nunc rescindere velint. De secundo loco quae observavit Muellerus, ea refutare inutile videtur.

Primus igitur locus solus hypothesin fulcire videtur et negari nequit, Muelleri versionem multo simpliciorem esse quam artificiosam Classenii explicationem [3]). Attamen huic eam praeponendam non esse censeo.

„Bei solchen Stellen (i. e. quales in Thucydidis orationibus saepius occurrunt)", ait M.S. p. 190, „denen mit einfachem gesundem Menschenverstand doch nicht beizukommen ist, hat dann die Theologenkritik freies Spiel und selbst eine gewisse Berechtigung." Et re vera ad explica-

---

1) „Ich meinestheils beharre nun auch heute auf meiner gestern ausgesprochenen Meinung, dass Ihr den früher gefassten Beschluss nicht umstoszen solltet" p. 287.

2) „So muss es sich auch schon am Tage vorher um einen Widerruf gehandelt haben."

3) „τότε πρῶτον, Hinweis auf den allen Zuhörern bekannten Vorgang in der gestrigen Versammlung. διαμάχομαι zeugmatisch auch zu τότε πρῶτον, statt διεμαχεσάμην. μὴ μεταγνῶναι ὑμᾶς τὰ προδεδογμένα hat nur bei dem letzten (νῦν διαμάχομαι), nicht in dem τότε πρῶτον seine Geltung."

tionem, qualem dat Classen, saepissime in orationibus recurrendum est. Quam ob rem simpliciorem hic non praefero, quippe cui obstent multi alii loci.

Nam si extitisset huiusmodi lex vel psephisma, nonne multo magis id ursisset Cleon? E. g. c. 40, 4 dixisset, opinor, „non sibi modo sed ante omnia legi oboediendum esse." Obstat quoque c. 36, 2, *περὶ δὲ τῶν ἀνδρῶν γνώμας ἐποιοῦντο καὶ ὑπ' ὀργῆς ἔδοξεν αὐτοῖς κ. τ. λ.* et causas saevi decreti addit auctor: nullius tamen legis mentionem facit.

Et cur Athenas captivos misit Paches, si ex lege cum hos tum ceteros incolas necare ei licebat? Non enim tam mitibus fuit moribus, ut sumere liceat, id facere ipsum noluisse. Et cur expectaverunt Athenienses captivorum adventum, antequam de iis deliberarent?

Neque Diodotus, quod legi obrogaret, se excusavit; nec vero hoc tam facile erat[1]). Et nautis *πρᾶγμα ἀλλόκοτον* quomodo esse potuit, quod paucis annis ante in ecclesia ipsi decrevissent?

Si vero eiusmodi lex contra Potidaeam fuisset constituta, quae est Muelleri hypothesis, Cleon nunc civibus in mentem revocare debuisset, illam legem etiam capta Potidaea esse violatam[2]), si igitur nunc iterum neglegeretur, prorsus eam sublatum iri.

Et quod obiecit M.S., fieri non potuisse, ut Athenienses, cum cognovissent, quid Mytilenae demus fecisset, hunc quoque capite damnarent, praeterea per tempus satis longum, quod inter primum expugnationis nuntium et captivorum

---

1) Cf. Hermann. Staatsalterth. § 131.

2) Ideo liberum Potidaeae incolis exitum concessisse strategi Athenienses Muellero videntur, quod ex eo psephismate certam mortem eos manere scirent et „in ihnen ein Gefühl der Humanität (sie waren eben Athener!) über alle politischen und militärischen Rücksichten den Sieg davontrug" (p. 193). Vix credo. Nonne enim verisimilius est, id eos fecisse, ne diutius etiam protraheretur obsidio, cum exercitus aerumnam viderent, *ἀνηλωκυίας δὲ ἤδη τῆς πόλεως δισχίλια τάλαντα ἐς τὴν πολιορκίαν* (II, 70, 2). Has certe ob causas strategis non valde succensuisse mihi videntur Athenienses.

adventum intercessit, iram eam maximam sedari potuisse, equidem antestor c. 36, 2 et c. 39, 6, ubi non sine culpa esse demum ostendere conatur Cleon. Et saepius per id tempus in ecclesiis Athenienses adhortatos esse oratores in utramque partem, facile crediderim; cur igitur ad crudelitatem instigantibus oboedire non potuerunt, captivorum adventu eo magis commoti? Poenitentia tamen statim post decretum civium animos percussit et mitiores reddidit. Sic enim saepius, cum rem diu ponderatam perfecerimus neque infecta ea reddi amplius possit, tunc demum summo terrore et metu percellimur. Res tamen difficillima est ex psychologiae praeceptis in populi facta inquirere, nedum certi quid statui possit.

Neque miror, quod non statim post nuntium acceptum de reis iudicaverunt, si Paches pollicitus est, ceteris quoque urbibus expugnatis, se captivos omnes Athenas missurum esse.

Sed ea quoque, quae post ecclesiam facta esse Thucydides narrat, Muellerum offendunt. Nempe cap. 49 Diodoti rogationem *κρατῆσαι* dici, quae qualis fuerit ex c. 48, 1 appareat: *οὓς μὲν Πάχης ἀπέπεμψεν ὡς ἀδικοῦντας κρῖναι καθ' ἡσυχίαν, τοὺς δ' ἄλλους ἐᾶν οἰκεῖν* [1]). Nihilominus ex Cleonis sententia (c. 50, 1) omnes captivos interfecisse Athenienses. Quae non quadrare Muellero videntur, quam ob causam verba, quae leguntur c. 50, 1, delenda esse

---

1) Huiusmodi iudicii exemplum invenisse sibi videtur M.S. in Antiphontis oratione pro Herode § 77: *ἐπεὶ δ' ὑμεῖς τοὺς αἰτίους τούτων ἐκολάσατε, ἐν οἷς οὐκ ἐφαίνετο ὢν ὁ ἐμὸς πατήρ*, e quibus verbis, absolutum esse patrem, effecit M.S. At nonne disertis verbis id dixisset Antiphon et rem ursisset, ut omni suspicione virum liberaret? Cur verbo incerto usus esset? quod melius dictum est, si e. g. Pachetem corrupit pater, cum ille *τοὺς αἰτίους* conquireret. Neque verbum bene vertit M.S. „wie es offenbar ward oder wie es sich herausstellte" (p. 231); idem significat, quod *ἐδόκει*, ut Thuc. IV, 57, 2, *ἀλλ' αὐτοῖς κίνδυνος ἐφαίνετο ἐς τὸ τεῖχος κατακλῆσθαι*. Antiphontis verba *οὐκ ἐφαίνετο ὢν* vertit M.S., tanquam scripsisset orator: *οὐκ ὢν ἐφαίνετο*.

censet. Attamen ea tueri posse mihi videor, si rem mihi ita fingo: Athenienses, quos poeniteret, omnes Mytilenaeos capite se damnavisse, Diodoti sequi volebant sententiam, qui ceteros ἐᾶν οἰκεῖν, de captivis autem iudicare iussisset [1]). Deinde vero in eadem ecclesia Cleonem iterum verba fecisse credibile est et suasisse, ut interficerentur captivi neve de iis iudicaretur, Athenienses autem tunc in eius sententiam ivisse. Si vero tanta iis fuisset μεταμέλεια, ut altero die omnes necandos, altero autem omnes vel reos fere liberandos esse [2]) decernerent, ea demum mirabilis res fuisset et mox, opinor, cum Alcidam per mare Aegaeum navigare, nova pericula instare, Lesbios superbire audirent, ad pristina consilia rediissent et indulgentiam illam Christianam nec vero Graecam abiecissent.

At, quaerat quispiam, cur non statim post 49, 1 ea narravit Thucydides, quae in eadem ecclesia facta sunt? Quia ante omnia, respondeo, triremis eius mentio fieri debuit, quae summa virium intentione Lesbum tetendit, ut salutem insulae afferret. Qua capitis parte praetermissa, optime iungi potest cap. 50, 1.

Si deinde M.S. p. 198 verba Κλέωνος γνώμη διέφθειραν ad iudicium non pertinere, iure contendit et hanc quoque ob causam interpolatori haec omnia tribuenda esse censet, hoc argumentum nullius est momenti, postquam iudicia prorsus non fuisse, probavi.

Verba autem, quae leguntur c. 50, 1, grammaticum aliquem propterea addidisse, suspicatur M.S., quod Thucydides nihil amplius de captivorum sorte dixisset; quam probabilem esse coniecturam in disputatione de Aeginetis Thyreae captis demonstraturum se dicit [? cf. p. 217]. At

---

1) Hanc quoque clausulam perlatam esse, ex Thucydide non apparet. Ecclesia primum hoc diiudicasse mihi videtur, utrum omnes necarentur incolae, an captivi modo.

2) Cf. M.S. p. 197, ubi admonet, Athenis divites captivos custodibus corruptis facile fugere potuisse ex carcere.

p. 218 scribit M.S.: „si Thucydides ipse captivorum sortem rettulit post c. 49, contextum mutaverit interpolator necesse est; quod re vera eum fecisse, ostendere conabor." En igitur corruit probabilitatis illud argumentum [1]) et melius fecisset M.S., si aut id dixisset aut totam disputationem (p. 198—205) sustulisset [2]). In qua elucet sane sagax nostri ingenium; attamen est, quod mireris, omnes, quos supra [3]) enumeravit, scriptores integra tantum Thucydidis vidisse exemplaria, corruptorum autem alterius generis unicam in scholio illo ad Luciani Timonem superesse memoriam, alterius tantummodo in nostrorum codicum archetypo.

Nonne scholii eius difficultatem facilius tollere possumus verbis, quae scripsit M.S. in Fleck. Ann. 1880, p. 93: „wie oft aber bei solchem citieren auf hörensagen sich die grösten albernheiten einschleichen und wie wenig auf solche angaben wie ὡς φησι Φιλόχορος oder οὕτως Θουκυδίδης oder Ἀριστοτέλης verlasz ist, das ist ja genugsam bekannt."? Cur, ubi Vespas laudat idem scholiasta, obicere audet M.S.:

---

1) Ipsa Muelleri verba laudanda videntur, quo melius pateat contradictio: P. 204: „Dies sage ich unter der Voraussetzung der Möglichkeit, dass Thukydides, über das endliche Schicksal der..... Gefangenen weiter gar nichts gesagt hat. Aber ist ein solches Schweigen irgend wahrscheinlich? Warum nicht? u. s. w." et Aeginetarum exemplum narrat. Attamen in fine huius excursionis p. 217 addit: „Können, dürfen wir nun annehmen, Thukydides habe wirklich die Absicht gehabt, seine Leser in so perfider Weise zu täuschen? Nein u. s. w." et eundem interpolatorem verba Aeginetarum captivorum sortem narrantia sustulisse ponit, simili modo, quo III, 50 (cf. p. 218). Argumento igitur Aeginetarum historia esse nequit.

2) In hac disputatione contendit M.S., grammaticum aliquem, cum in Thucydide nihil amplius de captivorum sorte inveniret, historiam e suo ingenio supplevisse; non tamen ut alterum, sanguinarium illum, omnes necatos esse finxisse, sed cum non ignoraret, Athenis multum valuisse aurum, corrupisse Mytilenaeos — quem? Cleonem scilicet, quem culpa ea non vacasse in Equitibus legisset. Haec eum in contextum recepisse: scholiastam autem Lucianeum ita legisse locum Thucydideum in manuscripto aliquo et cum Thucydidis nomine ad Timonem annotavisse.

3) Vid. supra p. 78 annot. 2 et 3.

„falsch! es sollte heiszen im Frieden", ubi vero Thucydidis nominis mentionem inicit, pluris facit ignoti huius hominis auctoritatem quam textum Thucydideum, quem traditum accepimus?

Sed caput 50 mutaverit interpolator necesse est secundum Muellerum, qui mutationes deprehendisse sibi videatur. Nam ipsum Thucydidem tale quid scripsisse suspicatur p. 225: „Captivorum autem aliquot iudiciis damnaverunt (erant fere 40), ceteros tamen liberaverunt. καὶ Μυτιληναίων τείχη καθεῖλον καὶ ναῦς παρέλαβον. Postea autem non tributum Lesbiis imperaverunt sed alia vectigalia, praeter Methymnaeos. Agros tamen damnatorum diviserunt cet."

At talia si scripsit Thucydides, multo magis miror, ea mutare voluisse et ausum esse grammaticum. In fine autem alia verba olim fuisse, ideo opinatur M.S., quod ex eius computatione [1]) non in 3000 κλήρους dividi potuerit tota insula, incredibilis enim magnitudinis κλήρους sic evasuros fuisse. Id, quod mihi certe satis probavit. Sed in re tam difficili omni iudicio abstineo; hoc modo contendo, si annotationem quoque illam de agris divisis mutavit grammaticus, tum nihil amplius certum esse, neque Muelleri computationem, qua triginta vel fere quadraginta optimatium praedia publicata fuerint. Nam quidni hos quoque numeros mutaverit?

Sin autem corrupti non sunt, cum Muellero captivorum interfectorum numerum minorem quam mille fuisse, suspicor et veri simillimum esse mihi videtur, terram divisam eorum fuisse praedia; nulla enim causa erat, cur iis quoque, quos non punivissent, agros adimerent Athenienses.

Praeterea hanc ob causam numerum „mille" falsum esse cum Muellero [2]) iudico, quod verba οἱ δὲ πράξαντες πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους μάλιστα τῶν Μυτιληναίων (III, 28, 2) et καὶ εἴ τις ἄλλος αὐτῷ αἴτιος ἐδόκει εἶναι τῆς ἀποστάσεως

1) Vid. p. 220 sqq.
2) Vid. p. 226.

(III, 35, 1) ad mille viros pertinere, vix credibile est, neque cum tot sociis consilia sua communicasse coniuratos.

Pro numero autem corrupto „centum" vel „ducenti" legendum esse mihi videtur ob verba addita ὀλίγῳ πλείους, quae nonnisi cum magnis numeris coniungi solent. Si praeterea verba πλὴν τῆς Μηθυμναίων expungimus, sententia prodit, quae non amplius contra probabilitatem pugnet. Sed emblemate eo ipsius Thucydidis verba aliquot expulsa esse apparet, quibus dixerat scriptor, quorum fuisset illa γῆ, quae inter cleruchos Atticos divisa est; huiusmodi enim aliquid omnino addi debuit. Gravibus vero illis immutationibus huius capitis, quas proposuit M.S., non amplius opus erit et hypothesis de interpolatore sanguinario abici poterit.

Quidquid autem id est, gravem accusationem, quam contra operis Thucydidei contextum M.S. protulit, diluisse mihi videor.

VIII.

De Thucydidis opere (eiusdem libri p. 42—56).

M.S. iis annumerandus est, qui belli Archidamici narrationem separatim editam esse opinantur, postea tamen sequentis belli descriptionem addidisse Thucydidem et propterea priorem partem retractavisse.

Et prorsus ei assentior ob causas, quas enumeravit p. 43.

Bello autem Archidamico finito, i. e. aliquo tempore post annum 421, librum suum Thucydidem edidisse arbitratur M.S.; nempe, etsi pacem eam non aeternam fore expectare posset, nullam tamen fuisse causam, cur operis sui editionem in tempus incertum differret; imo omnino negat credibile id esse [1]).

Cur V, 26, quod sequentia quoque κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας descripserit, se quasi excusavit auctor, si ad unum eundemque librum haec inde ab initio pertinebant? Unde grave illud exordium?

Respondet Stahl in vita Thucydidis [2]): „cum nonnulli duo fuisse bella putarent, fallace pace separata, nihil aliud

---

1) Vocat enim „eine psychologische Unwahrscheinlichkeit, ja Unmöglichkeit." p. 50.

2) Vid. in prooemio editionis Herwerdeni, I, p. 26.

declarare voluit quam opus, quo haec omnia comprehenderentur, unum et simplex esse."

Quid! Si ea non scripsisset Thucydides, tumne non simplex esse sed duobus contineri voluminibus opus nobis videretur? Punctumne appingimus sententiae, ut cum sequenti eam coniungamus?

Praefatio haec, vel potius pars, quae de hac re agit, iure a Muellero vocatur „ein künstliches gebäude scholiastischer spitzfindigkeiten" [1]). Unum exemplum, quod totam disputationem damnare mihi videtur, laudabo.

„Denique negandum est", ita legimus p. 28, „Thucydidem III, 87, 2, dicere non potuisse pestilentiam Athenis exortam tam funestam fuisse ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅ τι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν, si cladem Siciliensem cum haec scriberet cognitam habuisset." Optime, nam tales exclamationes non ad literam explicandae sunt et tantummodo magnam fuisse rem, indicant; quis enim auctor artifex, cladis alicuius misericordia perculsus, data opera ceteras omnes calamitates perpendet, num paullo graviores fuerint, antequam eam describere incipiat? Hoc ipsum tamen hic fecisse Thucydidem opinatur Stahl; nam computavit, in Sicilia „Atheniensium ducentos milites gravis armaturae et quinque milia, equites trecentos affuisse, quorum pauci domum redierunt"; morbo autem interiisse „militum gravis armaturae quatuor milia et quadringentos, equites trecentos, reliquae multitudinis, ex qua delectus fiebat, inexploratum numerum." „Patet igitur ab hoc hominum interitu, cladem in Sicilia acceptam aliquanto pestilentia inferiorem fuisse." Sine dubio, sed hoc quoque patet, virum doctum, qui hoc scripsit, artis opus ad arithmeticae leges severas intempestive exegisse; idem scribere potuisset Thucydides, si clade Siciliensi plures quam morbo Athenienses interiissent.

Sed ad Muellerum redeamus, qui ita iudicat [2]): „Thu-

1) Fleck. Jahrb. 1885, p. 337.

2) Vid. p. 51 sq.

kydides hat den Krieg der Peloponnesier und Athener geschrieben, nicht auf einmal, sondern wie sie ihn führten (wie sich die einzelnen Begebenheiten zutrugen), Schritt haltend mit den Ereignissen, gleich beim Beginne desselben anfangend." Melius autem quam Classenium eum explicavisse τὴν περισσολογίαν, quae est I, 1, 1 et V, 26, 1, pro certo habeo et hac quoque in re ei assentior, fere una cum rebus gestis earum composuisse historiam Thucydidem, neque id tam difficile fuisse, cum cotannis per quatuor hiemis menses otium haberet. Nihil igitur prohibet, quominus sumamus, statim post annum 421 Thucydidem opus suum recognovisse, correxisse, edidisse (p. 50).

Novum etiam attulit M.S. argumentum, quod bipertitum fuisse opus probet et pauca alia in Fleck. Ann. 1885, p. 336 sqq., de quibus nunc agam.

In hac autem disputatione hypothesin suam quodammodo mutavit. Locutiones enim „bald nach, sofort nach dem Frieden des Nikias" non ad verbum dictas esse contendit (p. 337), nam credibile esse, proximis ante pacem annis res Thracias, curas tam privatas quam publicas, accusationem, exilium auctoris animum totum fere occupavisse et districtum detinuisse, post pacem igitur retractandum fuisse opus et recognoscendum, orationes inserendas et limandas; sic fieri vix potuisse, quin duo tresve anni ante editionem praeterirent („ein paar Jahre").

Haec alius hypotheseos gratia dixit M.S., in Avibus scilicet libri Thucydidis non multo ante editi partes aliquas derideri.

At hypotheseos mutatione hac num opus sit dubito. Nonne enim in eadem comoedia ludibrio habetur Herodotus, nonne Euripidis Telephus in Acharnensibus carpitur, tredecimo anno postquam docta est fabula? Et cum liber de bello Archidamico fuerit „ein litterarisches ereignis ersten ranges" (p. 338), post longius quoque intervallum intellectos esse comici iocos illuc pertinentes sumere licet. Sed videamus locos Aristophaneos: Avium v. 550 sqq.

καὶ δὴ τοίνυν πρῶτα διδάσκω μίαν ὀρνίθων πόλιν εἶναι· 550
κἄπειτα τὸν ἀέρα πάντα κύκλῳ καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξὺ
περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς ὥςπερ Βαβυλῶνα.

quocum loco confert M.S. Thuc. II, 78, 1: *περιετείχιζον τὴν πόλιν κύκλῳ .... τάφρος δ' ἐντὸς ἦν καὶ ἔξωθεν ἐξ ἧς ἐπλινθεύσαντο.*

Praemisit M.S. observationem hanc: „dass das im theater versammelte Publicum sonst jegliche noch so leise anklingende litterarische anspielung gleichsam im fluge erhaschte und verstand" (p. 338). Num tamen omnes spectatores vel maior eorum pars omnes tragoediarum versuum derisiones intellexerint, dubito et propterea comicos tam diversas facetias in comoedias suas admisisse opinor. Non eorundem erat hominum ob penem facticium ridere et tragoediarum locis lepide traductis delectari. Sed eo acumine nemo, opinor, fuit inter spectatores, ut, cum Avium versus audiret, Thucydidei loci in mentem ei veniret et ibi quoque verba *κύκλῳ περιτειχίζειν* occurrere laterumque fieri mentionem recordaretur. Si murum illum, quo Plataeas circumdedisse Peloponnesios narrat Thucydides, significare voluisset poeta, ita id fecisset, ut quisque, narrationi illi ipsum comicum non credere, inde cognosceret, nec vero solitis modo aedificandi verbis usus esset.

Versus autem 1167 et solitam explicationem et Blaydesii („his verbis fortasse Atheniensium *τὴν χαυνότητα* derideri") insulsas esse ducit M.S. Num tamen ipse bene explicaverit locum, dubitare audeo. Verba poetae sunt: *ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεταί μοι ψεύδεσιν*, quae dicit Pisetaerus, postquam nuntius enarravit, quomodo urbis murum aedificaverint aves.

Quoniam autem neque Demostheni ad Pylum (Thuc. IV, 4, 2) neque avibus instrumenta praesto fuerunt (*αὐτόχειρες* v. 1135), sed milites illi manibus post dorsum iunctis calcem sursum tulerunt et aves *ἄνω τὸν ὑπαγωγέα ἐπέτοντ' ἔχουσαι κατόπιν* (v. 1149), propterea Pyli munitionem derisisse poetam, suspicatur Muellerus.

At, ut lacunam esse et vocabuli *ὑπαγωγεὺς* significationem incertam [1]) esse praetermittam, quomodo spectatores, cum v. 1167 vocabulum *ψεύδη* audirent, ad solos versus 1135 et 1149 tanto tempore ante auditos id pertinere, intellegere potuerint, hoc me latet.

Apta laboris ex avium natura distributio per se satis lepida esse mihi videtur. Quod autem ad vocem *ψεύδεσι* pertinet, neque Blaydes verum vidisse mihi videtur; fortasse nullus versui inest iocus: „nam re vera res mirabilis, incredibilis esse mihi videtur."

Quod autem v. 1130 verba *καὶ γὰρ ἐμέτρησ' αὖτ' ἐγὼ* ad Plataeenses spectare opinatur, qui lateribus enumeratis hostium muri computaverint altitudinem, multo melius, puto, ad Herod. II, 127, alii versum referunt, ubi fere eadem leguntur verba.

Deinde (p. 345) cum versum 281 [2]) ob Thucydidis de Tereo disputationem (II, 29) scriptum esse arbitratur, metuo, ne nimis docta sit argumentatio, cum nihil in versu insit, quod historici admonere possit.

De uno modo loco verisimiliora protulit M.S.: v. 1126 [3]) Thucydidem I, 93, non Herodotum I, 179 respici, suspicatus est; Aristophanem enim, si Herodotum deridere voluisset, *τεθρίππου* potius mentionem facturum fuisse. At quoniam Thucydidis verba non perspicua sunt et a Kruegero et ab Herbstio expunguntur, ne hoc quidem certum est.

Ex eodem autem Thucydidis capite aliud argumentum effecit M.S., quippe quo narretur, in urbis muro *οὔτε χάλικα οὔτε πηλὸν* fuisse; quod cum falsum esse e ruderibus probaverit Duncker, inde patet ante moenia deleta (404) ea

---

1) Cf. Kockium ad locum.

2) *οὐ σὺ μόνος ἆρ' ἦσθ' ἔποψ,*
ἀλλὰ χοὗτος ἕτερος; κ. τ. λ. Nempe ut duos Tereos fuisse dicit Thucydides, ita duos quoque finxisse epopes poetam.

3) *ὥστ' ἂν ἐτάνω ... ἐναντίω δύ' ἅρματε*
ὑπὸ τοῦ πλάτους ἂν παρελασαίτην.

scripsisse Thucydidem. Quod tamen Avium versu 839 [1]) opinionem eam ut falsam (nam veram moenium conditionem non omnes latere potuisse) ludibrio haberi suspicatur, hoc omnino reiciendum est.

Nunc videamus Pseudoxenophontis Atheniensium Civitatis locos, quos e Thucydide desumptos esse, opinatur M.S. Sunt autem hi [2]):

ex Thuc. I, 143: *Xen. c. 1, § 19 sq., c. 2, § 4 sq. et 14—16.
ex Thuc. II, 64, 5: *Xen. c. 1, § 14.
ex Thuc. II, 13, (III, 39): *Xen. c. 1, § 15.
ex Thuc. III, 37, 3: *Xen. c. 1, § 7.

At omnes hi Thucydidis loci leguntur in orationibus (nam II, 13 ab oratione non differt), quas in altera demum editione addere vel retractare potuit. Sed etiamsi in priore quoque tales scriptae fuerint, quales hodie legimus, nulla imitatio inde effici potest. Omnes enim loci pseudoxenophontei pertinent ad civitatis Atheniensis rem civilem, de qua in quavis ecclesia orationes haberi, opiniones proferri solebant, de qua quilibet in tonstrinis, apud sutores, in foro loquebatur. Cur igitur e Thucydide descripta ea esse, sumere necesse est?

Nec igitur Schmidtii hypothesi [3]) opus esse mihi videtur, ex ipsius Periclis oratione, quam habuit anno 431 [4]), ea mutuatum esse Xenophontem vel Critiam.

Et nunc ad ultimum Muelleri pervenimus argumentum, unde si rectum est sequitur, fere eodem tempore, quo res gererentur, eas descripsisse Thucydidem [5]).

---

1) *χάλικας παραφόρει, πυλὸν ἀποδὺς ὄργασον.*

2) Cf. eius disputationem de Xenophontis scripto in Philologi anni 1880 supplemento quarto p. 129.

3) Vid. eiusdem disputationis p. 128.

4) Haec Thucydidis quoque orationis I, 140—144 fuit exemplum.

5) „Dass Thukydides in seiner Darstellung mit den Ereignissen ziemlich gleichen Schritt gehalten u. s. w." Thuk. Forsch. p. 46.

Ostendere enim conatus est, libri III caput 104, ubi Deli a Rhenea distantia tam parva fuisse dicitur, ut catena insulas iungere potuerit Polycrates, scriptum esse ante annum 421, cui Niciae theoriam celebrem probabiliter admodum attribuit; nempe historicum hoc potius argumento usurum fuisse, quod una nocte fretum illud ponte iunxerit Nicias [1]), si res ei nota fuisset. Ergo ante Niciae Delum theoriam scriptum esse caput, necesse esse.

Quae argumentatio recta non esse mihi videtur, nam Polycratis catena inter gentes Graecas maiore frui debuit celebritate, quam Niciae theoria.

Atque aliud quid obstare mihi videtur.

Illustria enim Muelleri exempla ad similem conatum me instigaverunt, et ut ille telis, quae praebet sana ratio, narrationes de Atheniensium post pugnam Marathoniam reditu, de Plataearum obsidione et multas alias optime impugnavit et falsas esse probavit, ita ego nunc Plutarchi verba vera esse non posse, ostendere conabor.

Haec enim narrat Plutarchus: „Nicias, cum theoriarum chori de navi descendentes turbari solerent, ad Rheneam appulit, *τὸν χορὸν ἔχων, καὶ τὰ ἱερεῖα, καὶ τὴν ἄλλην παρασκευήν, ζεῦγμα δὲ πεποιημένον Ἀθήνησι πρὸς τὰ μέτρα, καὶ κεκοσμημένον ἐκπρεπῶς χρυσώσεσι καὶ βαφαῖς, καὶ στεφάνοις, καὶ αὐλαίαις κομίζων, διὰ νυκτὸς ἐγεφύρωσε τὸν μεταξὺ Ῥηνείας καὶ Δήλου πόρον οὐκ ὄντα μέγαν.* Quo chorum Delum deduxit. Post festum autem pulcherrima deo dedit dona, *καὶ γὰρ τοῦτο τῇ στήλῃ ἐνέγραψεν ἣν ὥσπερ φύλακα τῆς δωρεᾶς ἐν Δήλῳ κατέλιπεν.*"

Notum autem est, antiquitus Graecorum pontes nihil fuisse nisi aggeres, cum plurima in Graecia flumina vadis traici possent vel parvis modo pontibus opus esset; pons autem, cuius mentionem facit Plinius [2]), Romanis aedificatus est temporibus.

---

1) Plut. V. Nic. c. 3.
2) Hist. Nat. IV, 1, 21.

Nonne igitur mirandum est, mare iunxisse Niciam quatuor stadiorum? Tantum enim inter insulas esse intervallum, narrat Strabo. Sine fundamentis igitur hic pons construi non potuit, neque una nocte haec in mari aedificari poterant.

Quam ob causam ratibus et lintribus fretum iunxisse Niciam sumendum est, ut cuique patet.

At pontem Athenis factum et ornatum secum attulisse eum, refert Plutarchus!

Praeterea quot navibus ei opus fuit, si Herodotum VII, 36 conferimus, ubi 360 et 314 navibus duos fere septem stadiorum pontes aedificavisse dicitur Xerxes; et fac numeros hos auctos vel corruptos esse [1]), attamen maiorem secum ducere debuit classem Nicias, quam credibile est.

Atque e Plutarcho patet, una nocte constructum esse pontem. Quod fieri non potuit. Nam non modo omnes apparatus e navibus in terram exponere debuerunt, sed ancoras quoque iacere et funibus naves inter se alligare, deinde tabulas imponere, postremo ornamenta addere.

In urbe autem mea patria milites, quorum unicum munus est pontium constructio, cotidie flumen 135 metrorum, fluxu fere non motum, lintribus ad id aedificatis sesquihora iungunt, 107 viris enitentibus. Niciae igitur una nox ad tantum opus perficiendum sufficere non potuit.

Si igitur falsam esse narrationem ostendi, argumento esse nequit. Cuius tamen originem excogitare non potui, nisi fortasse navem suam cum litore coniunxerit Nicias, ut ponte eo choreutarum ordines non turbati descenderent.

Quae autem suspicatus est M.S., perfecisse opus suum Thucydidem ipsum, sed optimates auctore interfecto alteram libri partem sustulisse, forte fortuna tamen initii alterum quoque extitisse exemplar, unde libri V—VIII nobis super-

---

1) Cf. Steinium ad locum.

sint, ea nimis incerta esse duco. Nam non eousque perfectum fuisse opus, ut mox edi posset, e multis locis apparet [1]). Praeterea Cratippus aequalis eius opus imperfectum relictum esse dixit, quem res ea, opinor, latere non potuisset.

---

1) Nonne ut unum laudem argumentum, prius de Pisistratidis episodium omisisset?

IX.

De primo belli Peloponnesiaci anno (Fleck. Jahrb. 1883, p. 577—612 et p. 657—713).

Hanc dissertationem maioris in belli Peloponnesiaci historiae fontes inquisitionis partem esse, dicit M.S. Quam et alias ob causas ante cetera edidit et eo consilio, ut tanquam specimen esset inaugurale, cum facultas philosophica universitatis Koenigsbergianae paullo ante eum nominavisset doctorem phil. et mag. art. liber.

In hac autem primi belli anni res gestas alio ordine, quam fecit Thucydides, disponere conatus est, postquam huius expositionem falsam esse ex inscriptione ostendit.

Ante omnia igitur belli initii tempus constituendum erit, de quo etsi Thucydides accuratissima dedit indicia [1]), summa inter viros doctos est discordia — non de anno sed de mense. Nec mirum, nam verba, quae in manuscriptis legimus, corrupta esse necesse est. Unicae enim annotationi, unde mensem computare nos possumus: Πυθοδώρου ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος, multa obstant.

„Quomodo (ait Krueger) ultimus Munychionis dies veris initium nominari potuit? Praeterea, si 80 diebus post, i. e. 20° Hecatombaeonis die, in Atticam invaserunt Peloponn-

1) II, 2, 1, cf. 19, 1.

nesii, ὁ σῖτος οὐκέτι ἤκμαζε, sed iamdudum in horreis condita erat messis; neque fieri potuit, ut omnia, quae narravit Thucydides usque ad caput 28, ante tertium diem Augusti [1]) fierent." Quas ob causas idem Krueger pro δύο proposuit δ΄; Plataearum igitur expugnationem octavo die Martii factam esse, suspicatur, Peloponnesiorum autem invasionem versus finem Maii; itaque omnes difficultates sublatas esse [2]).

Quam emendationem plurimi viri docti in contextum receperunt, sed cum Boeckhio, qui anno 431 nondum introductum fuisse Metonis cyclum, postea ostendit, quinto die Aprilis Plataeas expugnatas esse ponunt, 20o autem Iunii in Atticam invasisse Peloponnesios.

At optimo iure obiecit M.S., computationem eam rectam esse non posse [3]), nempe Kruegeri emendationem ex novis inventis mutare debuisse eos neque quatuor scribere menses sed quinque; utramque tamen computationem reiciendam esse ob vocabuli, quod est ἀκμή [4]), significationem, quam ceteri quoque viri docti admittant.

Vocem autem hunc in modum explicat Voemel (frühlingsprogramm 1846, p. 10): ἀκμὴ recte inter adulescentiam et senectutem media interponitur, sive aetatis humanae, sive frumenti atque anni." Cuius librum quanquam inspicere mihi non licuit, attamen falsam esse eam explicationem, contendere audeo.

Sine dubio primaria vocis significatio cum ea, quam dedit Voemel, convenit, nam a radice „ak" derivata, cultri

---

1) Quo die facta est eclipsis, capite eo a Thucydide commemorata.

2) Non impedimento esse verba ἅμ᾽ ἦρι ἀρχομένῳ, probavit M.S. p. 586, ἰκτῖνον enim (Av. v. 502) et χελιδόνα (Equ. v. 419) veris nuntios vocari solere, quorum alter versus finem Februarii, altera Martii initio in Graeciam veniat.

3) „Wie kann denn das facit eines rechenexempels von denen, die den einen factor, mit dem gerechnet ist, als irrig nachweisen, als ein richtiges angesehen werden?" Vid. p. 584.

4) Thuc. II, 19: τοῦ σίτου ἀκμάζοντος.

aciem significat, deinde locum, de quo, quodcunque in eo sit, vel levi contactu motum, delabatur („momentum labile" a physicis vocatur). Itaque hominis aetatis ἀκμὴν iure eos annos vocare possumus, per quos maximum est robur, fortissimum corpus; nam eousque creverunt vires, postea autem imminuuntur. Et eodem modo frumentum, quoad viride, forte, erectum sit, ἐν ἀκμῇ se esse, ipsum contendere posset. At homines sunt, qui locutionem invenerunt et ad frumentum transtulerunt. Quaerendum igitur est, quae hominibus frumenti aetas optima esse videatur, quando illis summo sit commodo; eam enim eos ἀκμὴν vocavisse credibile est.

Neminem autem latet, frumenti flores nonnisi a botanicis colligi, spicas vero gilvas, seminis onere curvatas, senes, ceteris hominibus ad perfectionem [1]) venisse videri et sedulo demeti. Quid? nonne eodem modo tunc demum maturi esse dicuntur fructus, cum in eo sunt, ut in terram decidant? Quis contra mulierem sexagenariam, decrepitam, hoc epitheto ornare mallet quam viginti annorum virginem? Ut vocabula Batava: „bloei" et „rijpheid" synonyma sunt, si de homine dicuntur, attamen quod ad fruges magno separantur intervallo, ita ἀκμὴ de homine et de frumento dicta eandem significationem habere nequit.

Neque explicare possum, quomodo Peloponnesii, qui (IV, 2) πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι invaserunt, hanc ipsam ob causam κατὰ τάχος abiisse dici possint [2]), nisi maturitatem significet ἀκμή.

E plurimis autem scriptoribus annotationes contulit M.S. de frugum maturitate et messi in Graecia (p. 590 sq.);

---

1) Ita dicit Theophrastus Hist. Plant. 8, 2, 5: μετὰ δὲ τὴν ἀπάνθησιν ἀδρύνονται καὶ τελειοῦνται πυρὸς μὲν καὶ κριθή.

2) Vid. cap. 6: ἅμα δὲ πρὶν ἐσβαλόντες καὶ τοῦ σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος ἐσπάνιζον τροφῆς τοῖς πολλοῖς. — Quae si spuria sunt verba — vix enim credibile videtur, expectasse Peloponnesios, fore ut post tot invasiones victus etiam tunc superaret aliquid (loci II, 23 et III, 1, itidem sollicitantur), — ille tamen, qui verba addidit, meam ἀκμῆς explicationem probavit.

unde medio Maio in Attica hordeum demeti constat [1]). Optimo igitur iure contendit, contradictionem inesse in verbis τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος (II, 19), sive frumentum florens, sive maturum intellegas [2]). Pro argumentis sunt Kruegeri haec verba incerta: „θέρους ἀκμὴ, unstreitig von der mitte des sommers, wobei jedoch etwa schon an den mai zu denken", Wilamowitzii annotatio ad Cur. Thuc. p. 12, Classenii verba II, p. 219 [3]).

Hanc ob rem delevit M.S. verba καὶ τοῦ σίτου, quod verbis τοῦ θέρους expunctis Plataeae expugnari debuerint 80° die ante ἀκμὴν, ante 25^{um} diem Aprilis [4]), i. e. exeunte altero Posideone; at tunc fieri id non potuisse, si conferantur verba ἅμ' ἦρι ἀρχομένῳ.

Quoniam igitur media aestate invasionem factam esse ponit, verba Πυθοδώρου ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος integra retinere potuit. Unde hanc effecit hypothesin, ultimo Munychionis die (primo Iunii) expugnatas esse Plataeas, in Atticam autem invasisse Archidamum 80 diebus post, i. e. 21° die Hecatombaeonis, i. e. Augusti, archonte Euthydemo.

Ad quam defendendam Diodorum auxilio vocavit, qui (XII, 37) narrat, a Potidaeae obsidione initium cepisse Thucydidem (ἀμυνομένων δὲ τῶν ἔνδον εὐρώστως, ἐγένετο πολυχρόνιος πολιορκία. Θουκυδίδης δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὴν ἱστορίαν ἐντεῦθεν ἀρξάμενος, ἔγραψε κ. τ. λ.). Pergit autem c. 38: Ἐπ' ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησιν Εὐθυδήμου Ῥωμαῖοι μὲν ἀντὶ τῶν ὑπάτων τρεῖς χιλιάρχους κατέστησαν .... ἐπὶ δὲ τούτων Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις ἐνέστη πόλεμος ὁ κληθεὶς Πελοποννησιακός. Eorum

1) Cf. e. g. C. Wachsmuth, das alte Griechenland im neuen p. 112: „In Attika fängt der weinstock mitte märz an sich zu belauben, ist im laufe des april voll belaubt; die volle ähre der gerste blüht durchschnittlich anfang april, die des weizens mitte april; die getreideernte beginnt durchschnittlich mitte mai, die weizenernte ende mai; die feigen reifen im juli und die trauben sind anfang august reif, bleiben aber länger am stock."

2) Thuc. III, 1, 1, aestatis initio ὁ σῖτος ἀκμάζειν dicitur.

3) Locutio τοῦ πολέμου ἄρτι καθισταμένου καὶ ἀκμάζοντος Thuc. III, 3, 1, nostram tueri mihi non videtur.

4) Typothetae errore 5^{us} Aprilis dies legitur.

igitur rettulisse Diodorum opinionem, qui non ut Thucydides solus [1]) Plataearum expugnationem, sed invasionem in Atticam belli initium esse duxerunt, ut Ephorus, quem hic se adiisse profitetur Diodorus c. 41.

Diodori autem locus propterea Muelleri hypotheseos est argumentum, quod Euthydemo archonte bellum initium cepisse (et invasisse Peloponnesios) ibi dicitur. Nonnulla tamen obicere possum. Primum observatio, ἐντεῦθεν, i. e. a Potidaeae obsidione, incepisse Thucydidem non modo parum definita, sed falsa quoque est, quoniam Plataearum expugnatio ei belli initium est.. Praeterea non Euthydemo archonte sequentia facta esse narrat Diodorus sed ἐπὶ τούτων, i. e. sub consulibus vel tribunis Romanis, qui inde a mense Ianuario magistratum inierant. Atque si verum est id, quod contendit Schoell, Diodorum, cum Romae degens calendario uteretur Romano, semper eum addere archontem, qui post eius anni consules magistratum inierit [2]), necesse non est sumamus, post primum Hecatombaeonis diem invasionem factam esse, putavisse Diodorum. Imo ea, quae capite 37 narravit, omnia ante finem anni Romani 432 facta sunt; ea igitur, quae sequuntur, Romano anno 431 tribuenda esse videntur.

Adde, quod saepissime chronologiam [3]) turbavit historicus ille; cf. Wilamow. Cur. Thuc. p. 11, annot. 2.

Non igitur Muelleri hypothesi argumento esse potest Diodori locus.

Sed plura eius hypothesi obstant. Eclipsis enim, quae

---

1) Philochoro quoque Pythodoro archonte initium cepisse bellum visum est. Vid. Schol. ad Pac. v. 990. Eadem Aristotelis est opinio (Ἀθην. Πολ. c. 27): ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ὁ πρὸς Πελοποννησίους ἐνέστη πόλεμος. Diodoro igitur etiam minus fidendum est; neque sumamus necesse est, ob causam aliquam in opinione sitam a ceteris dissensisse Thucydidem.

2) „Er nennt zugleich mit den Consuln nur denjenigen Archon, der im Laufe ihres Consulates sein Amt antrat." Gesch. d. Griech. Lit. II, p. 372.

3) Consules et tribuni militares, quos annis 432 et 431 Romae fuisse, narrat Diodorus, a Livio (IV, 13 et 16) annis 439 et 438 adscribuntur.

fuit tertio die Augusti, a Thucydide (II, 28) post exercitus Peloponnesiaci abitum commemoratur. Cum autem a Muellero 17 fere diebus post eclipsin invasio facta esse ponatur, ab historici ratione chronologica ei deflectendum fuit; quam falsam esse ex inscriptione [1]) ostendere conatus est, quae anni Ol. 87, 1, rationes continet:

A

1. Θ[εοι]
2. [αθεναιοι ανελ]οσαν ες μα[κεδονιαν και .... επι πυθοδορο αρχοντος και επι τ]
3. [ες βολες Ηει δι]οτιμος εγγ[ρ... προτος εγραμματευε ταμιαι Ηιερον χρεματον τες αθεναιας ευρ]
4. [εκτες ατενευς] και χσυναρχον[τες Ηοις απολλοδορος κριτιο αΦιδναιος εγραμματευε παρεδοσαν στ]
5. [ρατεγοι ες μακ]εδονιαν ευκρα[τει . . . . . επι τες . . . . . ιδος πρυ]
6. [ταμειας δευτερ]ας πρυτανευο[σες . . . . . .]
7. . . . . [π]αρεδ[ο] . . . . . .
8. /// /// ///

B

1. εσα[?]
2. Η[Γ]ΔΔ
3. [Ηι]πποθον[τιδος πρυτανειας]
4. [ε]δοθε τει στρ[ατιαι]
5. τιδος πρυταν[ευουσες]
6. εγετε /// ες ποτε[ιδαιαν]
7. [Ηελλ]ενοταμιας ι επι
8. [Η]επτακαιδεκα : Δ[Γ]ΙΙ
9. [κεΦα]λαιον το ες μα[κεδονιαν]
10. οι στρατιαι τει περι [πελοποννεσον]
11. [Ηαλ]αιει προτεαι αιχσον[ει]
12. [Ηεμ]εραι λοιποι εσαν οκ[το]
13. ροι ικαριει Φιλοχσε[ν]

1) C. I. A. IV, 179 a—d.

14. [χ]αριαι δαιδαλιδει
15. [Η]ιπποθοντιδος πρυτα[νειας]
16. ταυτα εδοθε καρκινο[ι θορικιοι]
17. ντιδος πρυτανειας
18. [καρ]κινοι θορικιοι /// ///
19. ει ηαλαιει κα ///
20. ι ο // ιαι ///

Kirchhoff Eucratem, qui in Macedoniam missus est (v. 5), Calliae (Thuc. I, 61, 1) collegam fuisse suspicatur; cui obicit M.S., proprie non in Macedoniam profectum esse Calliam sed contra Potidaeam; Archestratum vero (I, 57, 6) in Macedoniam mittere voluisse Athenienses et ὡς πάρεργον Potidaeam a defectione prohibere iussisse; qui, cum iam defecisset colonia, non amplius eam curavit, sed in Macedoniam invasit, quo missus esset (c. 59, 2). Et alio quoque modo Kirchhoffium impugnavit M.S., hunc in modum argumentatus: „Cum primam huius anni pensionem hanc (Calliae, secundum Kirchh.) esse, constet (nam primae prytaniae pensiones cum praecedentium quaestorum nominibus commemorari debuissent), Archestratum Apseude archonte, fortasse Scirophorione exeunte, profectum esse necesse est. Qui statim post adventum defectionem nuntiavit. At quis credat, Athenienses per sex igitur septimanas cunctatos esse et secunda demum prytania Calliae pecuniam numerasse, ut Potidaeam navigaret?"

Propterea pensionem v. 6 ad Archestratum, v. 7 autem (item secunda prytania) ad Calliam pertinere suspicatur M.S., et missos eos esse, postquam Panathenaeis bellum contra Perdiccam decretum est.

At Atheniensium eam festinationem e Thucydide efficere non possum. Perdiccae enim, qui Chalcidicas urbes ad defectionem sollicitare vellet, consilio cognito, classem miserunt Athenienses sub Archestrato, cui bellum contra regem gerendum mandaverunt et ut in transitu Potidaeae moenia deleret et obsides posceret. Quae cum ante adven-

tum iam defecisset, statim Athenas nuntium misit, ipse tamen in Macedoniam perrexit. Interea Potidaeatarum legati Corinthiis, ut auxilium mitterent, persuaserunt, quorum 1400 milites Aristeo duce 40 diebus post in coloniam advenerunt (c. 60). Athenienses autem Archestrati nuntio audito 40 navium classem mittunt — non statim (quod male effecit M.S. ex adverbio *εὐθὺς*, nam de nuntio id dictum est), sed *ὡς ἤσθοντο καὶ τοὺς μετ' Ἀριστέως ἐπιπαρ-ιόντας* vel *ἐπιπαρόντας* (c. 61, 1); quae verba M.S., cum explicare non possit, sine ulla iusta causa delet.

Optime vero convenit sex septimanarum spatium, quod inter duas pensiones intercedit, cum 40 diebus illis, quibus opus fuit Corinthiis ad auxilia cienda [1]). Neque Callias statim contra Potidaeam se vertit, sed primum cum Archestrato se iunxit, quicum invanum Pydnam obsedit, id agens, ut Perdiccas pacem accipere cogeretur, deinde terra Potidaeam iter fecit.

At festinatio ea unde apparet? Quanto longius enim erat iter terrestre, quam si navibus traiecissent, cum praesertim *κατ' ὀλίγον προϊόντες* (c. 61, 5) id fecerint! Atque si, quod non satis firmum [2]) se esse putaret, cum ceteris copiis iungere se maluit Callias, cur non statim maiorem miserunt classem Athenienses?

Incerta igitur sunt ea, quae hucusque ex inscriptione graviter mutilata effecit M.S., quanquam ipse iis satis fidit. Scripsit enim p. 606: „Kirchhoff quoque meam admisisset interpretationem, nisi eum prohibuisset pugna ad Potidaeam, quae illi Octobri mense facta esse videatur." De qua pugna vide inferius.

Inter duas autem inscriptionis partes pauca tantum in-

---

1) Hoc eo tantum consilio scripsi, ut falsa argumentatione Muellerum usum esse, ostenderem. Cf. de inscriptionis huius interpretatione infra p. 112.

2) At contra Samum quoque 44 modo navibus usus est Pericles, cum ceterae Phoenicibus obviam missae essent (Thuc. I, 116); neque Lesbum maior navigavit classis (Thuc. III, 3, 2).

tercidisse Muellero videntur, quod iam plures habeamus pensiones, quam Thucydidis auxilio explicare possimus. Quod argumentum num firmum sit, vehementer dubito et aliquid ei tribuisse Muellerum, summopere miror.

Secundae autem partis primum versum ita restituit: [ἐπὶ τ]ῆς Α[ἰαντίδος s. Ἀκαμαντίδος] aut potius ἐς Α[ἴγιναν], „si tertia quidem litera A est." Haec autem classis Muellero missa esse videtur, ut incolae insula pellerentur (Thuc. II, 27).

Pensio deinde v. 3 ἐπὶ τῆς Ἱπποθωντίδος πρυτανείας facta quo pertineat, ignorat; nam versus 5 et 6 ad Phormionis exercitum spectare ei videntur, neque alius exercitus mentionem facit Thucydides. Huic octava prytania pecuniam solutam esse censet, post Dionysia enim profectum esse eum videri, cum post pugnam ad Potidaeam χρόνῳ ὕστερον auxilio eum missum esse tradat Thucydides (c. 64, 2); hanc pugnam sex mensibus ante Plataearum expugnationem (1° Iunii) factam esse, i. e. mense Decembri anni 432 [1]), Phormionem autem duobus fortasse mensibus post missum esse. Haec cum lego, vix oculis meis credo. Quid? supra p. 599 M.S. scripsit: „vielleicht wird dadurch (sc. inquisitione in inscriptionem) zugleich etwas gewonnen für die urkundliche feststellung des monats, in dem die schlacht bei Poteidaia geliefert ist," et p. 592: „im sechsten monat nach der schlacht von Poteidaia: dass diese letzte notiz .... unmöglich richtig sein kann, werde ich weiter unten zeigen." Et nunc illa ipsa annotatione, quam falsam esse demonstraturum se modo promisit, ut certo certiore utitur ad inscriptionis ipsius partem explicandam! Sine ullo igitur fulcro esse hypothesin de Phormione post Dionysia misso, iam patet: ferendam eam non esse, e sequentibus apparebit.

Versus autem 7 et 8 ad triginta Cleopompi naves,

---

1) Typothetae errore legitur 431.

quae Locridem et Euboeam custodiebant [1]), pertinere, suspicatur M.S. [2]). At dubito, num haec pensio inter ceteras, quae in Macedoniam solutae sunt, recenseri potuerit; nam cetera loca, quorum nomina v. 1 post *ἐς Μακεδονίαν* supplenda sunt, in eadem regione sita esse credibile est: sin minus, eodem iure pensiones *περὶ Πελοπόννησον* ante B v. 9 scribi potuissent [3]).

Wilamowitzii autem interpretationem, septendecim navium unius mensis stipendium commemorari, reicit M.S., „quod nihil de iis navibus e Thucydide notum est."

Sequentibus deinde versibus complures pensiones classi circa Peloponnesum naviganti solutae occurrunt; quarum primam sub Pythodoro factam esse contendit M.S., hoc enim anno Philetaerum Icariensem, cuius nomen ex parte integrum legitur in versu 13, fuisse Hellenotamiam [4]).

Secundam dicit prima anni Euthydemi prytania factam esse, Hippothontidem enim prytaniam anni Pythodori initio (vel medio anno) fuisse [5]), verisimile esse: neque tunc iam classi circa Peloponnesum naviganti pecuniam pendi potuisse; Hippothontidem igitur, cuius mentio fit v. 15, Euthydemi anni primam fuisse, quoniam per hanc modo prytaniam (usque ad Panathenaea) magistratu etiam fungebantur quaestores Minervae anni praecedentis; atqui

---

1) Thuc. II, 26.

2) „Propterea (ait) hic nominantur Hellenotamiae, quod quaestores Minervae, hanc pensionem Pythodori anno iis factam esse, iterum annotare vellent, cum sub Euthydemo quoque in eandem rem novas fore pensiones expectarent." Quae verba non intellego.

Supplet v. 8: [*τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέραι λοιποὶ ἦσαν*] *ἑπτακαίδεκα*: Δ ΠΙΙ. Quae incertissima esse, quisque concedet.

3) Eandem ob causam Aeginae mentionem (B v. 1) reiciendam esse iudico.

4) Nomen et magistratum supplevit M.S. ex inscriptione C. I. A. I, 247: *ἐπὶ τῆς τρίτης καὶ εἰκοστῆς ἀρχῆς ... Ἑλληνοταμίας ἦν* [*Φι*]*λέταιρος* [*Ἰ*]*καριεύς*.

5) Id probavisse se, profitetur M.S. — iniuria, nam inscriptionis eius explicationem certam non esse, supra ostendi. Atque si hypothesis de Hippothontide recta non est, tota eius corruit argumentatio.

cum tertio (e. g.) huius prytaniae die et postea classi τῇ περὶ Πελοπόννησον pecunia pensa sit, non ante eum diem, i. e. non ante tertium diem Augusti (eclipseos diem) navigasse eam, sed multo post: quam cum multo ante eum diem missam esse referat Thucydides, huius chronologiam optimo iure neglegi posse.

Hactenus M.S. At mihi nihil probare videtur inscriptio illa, cui tantum tribuit. Cur enim tot pensionibus opus erat, antequam parata esset classis? Profecto non aedificandae vel instruendae erant naves, cum per totum fere annum se praeparavissent Athenienses [1]). Sed cum non praescirent, quamdiu aforet classis, hoc quoque ignorabant, quanta opus foret pecunia: prima igitur pensio in certum tempus data erat: paullo autem post, nova pecunia opus esse, patuit. Cur ad naves ornandas, quarum sumptus ante computari potuissent, tribus pensionibus opus fuisset?

Non multo post primam pensionem navigasse classis mihi videtur, neque sub finem anni hanc factam esse necesse est [2]).

Sed e Thucydidis narratione ipsa, rerum gestarum ordinem turbatum esse, ostendere conatus est M.S.; invanum, id quod probatum eo.

Thucydides enim II, 26, narrationem de classi Atheniensi interrupit, ut Cleopompum περὶ Λοκρίδα missum, Aeginetas ex insula pulsos, solis eclipsin, Nymphodori actiones referret. Deinde illuc revertitur.

Haec omnia circa eclipseos tempus fieri non potuisse, contendit M.S. Quod autem de Cleopompo et de Aeginetis ex inscriptione effecit, id falsum esse, supra ostendi.

---

1) Thuc. I, 125, 2.

2) Nam num bene versum 12 suppleverit M.S. [τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμ]έραι λοιποὶ ἦσαν ὀκτὼ, dubito. Melius fortasse est: τῆς πρυτανείας ἡμέραι κ. τ. λ. Octava autem prytania pensionem hanc factam esse, i. e. initio mensis Maii, Wilamowitzii est opinio; cui bene convenit Thuc. II, 17, 4. Vid. Cur. Thuc. p. 11.

Neque quod hic affirmat, Locridos litoris custodiam et Aeginetarum expulsionem ante Peloponnesiorum invasionem factas videri, mihi persuasit. Quid? nonne cum Lacedaemonii adessent et agros vastarent, cognoscere potuerunt Athenienses, molestos esse Locros [1]), cum exercitus hostium prope esset? nonne cum Archidamo agere potuerunt Aeginetae et Athenienses in posterum tempus id prohibere velle? Quod ipse concedit M.S. p. 662.

An omnia praevidere debuerunt illi? At cur post hostium demum discessum φυλακὰς κατεστήσαντο (II, 24, 1)? Cur non primo anno Naupactum naves miserunt (II, 69, 1)? Cur post Brasidae demum conatum Piraei portum clauserunt (II, 94, 3)?

Ne Athenienses quidem, opinor, perfecti fuerunt homines, sed illi quoque fortuna adversa multa didicerunt.

Praeterea si Thucydides, quod opinatur M.S., eo consilio quae ante facta sunt addidit, ut inde ad pugnam ad Alopen enarrandam fieret transitus, cur scripsit ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον? Cur non potius: „Paullo ante miserant cet.“? Cur, si Aeginetas post Spartanorum de insulae αὐτονομίᾳ legationem (i. e. paullo post Lenaea) expulerunt Athenienses, non tunc statim rei mentionem fecit?

Cur eclipsin sine ulla causa hic commemoravit? Cur narrationem de classi τῇ περὶ Πελοπόννησον in duas partes discidit, nisi res eodem tempore factas inserere vellet?

Profecto difficile est hominem aliquem cognoscere et longe difficillimum hominem ante multa saecula mortuum, cuius mores e scriptis solis appareant, attamen non talem fuisse Thucydidem, qualem M.S. hoc loco eum depinxit, hominem sana mente carentem omnique logicae sensu orbum, id ex multis operis eius partibus et imprimis e prologo luculenter apparet et nostro iure Muellero obicimus, talia a Thucydide expectanda non esse. Neque ali-

---

1) Cf. Thuc. II, 32.

ter se habent ea, quae de Nymphodoro annotavit M.S.

Si igitur turbati ordinis accusationem dilui, eclipseos commemoratio post Peloponnesiorum abitum Muelleri de invasionis tempore hypothesin evertit. Neque verba ἅμ' ἦρι ἀρχομένῳ, quae leguntur Thuc. II, 2, 1, cum ultimo Munychionis die, quo Plataeas expugnatas esse sumit M.S., conciliari posse mihi videntur, licet causam, ob quam addita sint, invenisse sibi videatur p. 709 sqq.[1]).

Nunc ex annotationibus antiquis de belli Peloponnesiaci initio chronologiam construere conabor, quia hoc quoque modo ostendere possum, Muelleri hypothesin ferendam non esse.

Initium facere debeo a pugna ad Sybota, hanc enim anni 433 mense Septembri factam esse, certo certius constat[2]). Post quam pugnam Atheniensium naves domum redierunt, itemque Corinthii, qui praeternavigantes Anactorium ceperunt.

Μετὰ ταῦτα δ' εὐθὺς nova discordiae inter Spartam et Athenas causa orta est, ut narrat Thucydides I, 56, 1. Potidaeatas enim ad defectionem pronos, moenia delere et obsides dare iusserunt Athenienses, neque Corinthiorum epidemiurgos recipere. Quanto autem tempore post Archestratus missus sit, ignoramus, sed longum interfuisse intervallum, non est verisimile. Nam iam antea hostis factus erat (ἐπεπολέμωτο) Perdiccas, qui cum Spartanis et Corinthiis ageret et Chalcidicae urbes ad defectionem sollicitaret (c. 57): et contra illum classis missa est. Archestratus autem, cum iam defecisse Potidaeatas cognosceret,

---

1) Inter alia hoc ibi contendit M.S., Thucydidem, ut decem belli sui annos expleret, inde a vere anni 431 initium id cepisse, scripsisse, quod vere anni 421 pax facta esset. Ideo eum initii tempus, Munychionis ultimum diem veri adscripsisse.

2) Ex inscriptione enim (C. I. A., I, 179) huius proelii tempus constituit Boeckh, cui assentiri se, professus est M.S. (Fleck. Ann. 1882, p. 307). Ibidem alium supplendi modum a Kirchhoffio propositum, probabilitatis armis bene impugnavit.

re Athenas nuntiata, contra Macedonum regem pergit.

Sex fere septimanis post Callias missus esse videtur (c. 61, 1), fortasse mense Decembri. Sequitur pugna ad Potidaeam (c. 62) anni 432 mense Ianuario [1]).

Duobus tribusve fortasse mensibus post (*χρόνῳ ὕστερον*) Phormio missus est, mense Martio (c. 64, 2). Neque multo post prius Peloponnesiorum concilium convenisse, sumere licet (c. 67, cf. c. 87, 6: *ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει καὶ δεκάτῳ τῶν τριακοντουτίδων σπονδῶν προκεχωρηκυιῶν*).

Si alterum deinde concilium versus finem Maii mensis [2]) convocatum esse, ponimus (c. 119), fere annus superest, per quem parare se potuerunt Athenienses et Lacedaemonii (c. 125, 2).

Invasio autem circa messis tempus facta esse mihi videtur; II, 19, 1 igitur verba *τοῦ θέρους καὶ* delenda esse censeo (quoniam, ut supra vidimus, non eodem tempore *ἀκμάζουσιν* aestas et frumentum). Nam si orationes legimus in conciliis habitas et alios locos conferimus, videmus, messis vastationem invasionum fuisse *σκοπὸν*; cf. Thuc. I, 81, 1 et 6; 82, 3 sqq.; 142, 4; 143, 4 sq.; V, 14, 3; VII, 28, 3; Grote VII, p. 166: „the first and most important operation of the war.... the devastation of Attica"; Thuc. II, 18, 5, ubi Archidamum moras nectentem vituperant Peloponnesii, *οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι ἐσεκομίζοντο ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ* [3]).

Quia autem hordei *ἀκμὴ*, i. e. maturitas, versus finem Maii est, hoc mense exeunte *ἐσβολὴν* factam esse, opinor et cum Kruegero 8⁰ die Martii Plataeas expugnatas esse censeo. Attamen, ut M.S. me docuit, Kruegeri emendationem *δ'* pro *δύο* recipere non possum, sed E (*πέντε*) pro B (*δύο*) legendum esse iudico, ut chronologia bene se habeat.

---

1) Hiems erat, ut iure dixit v. Wilamowitz. At si Potidaeatae id anni tempus opportunum ducentes, defecerunt, potueruntne aestatem expectare Athenienses? Cf. Lipsium in Fleck. Ann. 1885, p. 677.

2) Vel mense Iunio.

3) Hic ad messem spectare mihi videtur verbum, quanquam II, 14, 1, dictum est de liberis, uxoribus, instrumentis.

Nunc patet, verba μετὰ τὴν ἐν Ποτειδαίᾳ μάχην μηνὶ ἕκτῳ ferenda non esse. Nam si pugna ea anni 432 mense Septembri (Herwerden) vel Decembri (M.S.) facta est, tempus inde a priore concilio mox convocato usque ad medium Maium non convenit cum his Thucydidis verbis: ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη, ἔλασσον δὲ (I, 125), quae, etiamsi sana sunt, quod vehementer dubito, nihil significare possunt, nisi „fere annus praeteriit."

Praeterea quomodo, si fere anno post pugnam ad Sybota factam defecit Potidaea, explicatur vox εὐθύς (I, et 56, 1 et 57, 1). Quam M.S. prorsus neglexit (quanquam superiore anno [1]) ea usus erat in disputatione sua de Phidia), Wilamowitzius autem [2]) ab editore additam esse ponit, qua Potidaeae defectionem cum Corcyraeorum bello coniungeret. At non explicavit, quomodo, si pugnam sex mensibus ante Plataeas expugnatas factam esse, admittimus, fere septem mensium spatium ἐνιαυτὸν μὲν οὐκ, ἔλασσον δὲ vocare potuerit Thucydides; neque quomodo Peloponnesiorum concilium quarto decimo indutiarum anno [3]) factum esse, quinto autem decimo in Plataeas impetum fecisse Thebanos, rettulerit, si eodem anno haec facta sint et pauci modo menses interfuerint.

Nec vero I. Lipsii emendationem recipere vellem, qui ἕκτῳ <καὶ δεκάτῳ> μηνὶ proposuit. Imo delenda esse verba, persuasum habeo.

M.S. dixit p. 580: „die angabe hat für uns gar keinen werth und hatte einen solchen auch nur für die seiner zeitgenossen, die den monat, in dem die schlacht geliefert war, anderweitig kannten: denn aus dem Werk konnten sie ihn nur aus dieser stelle durch rückwärtsrechnen erfahren." At insani esse mihi videtur obscuram temporis definitionem addere, quae a maiore lectorum parte intel-

---

1) Fleck. Jahrb. 1882, p. 309.
2) Cur. Thuc. p. 17.
3) Hunc locum fere omnes viri docti neglexisse mihi videntur.

legi nequeat [1]); quod tamen fecit Thucydides, si ea verba scripsit. Qui enim aequales proelii mensem noverunt? Paucissimi, puto; non enim tanti momenti fuit ea pugna, ut multis tempus notum esse deberet.

Neque cur hoc nominaverit historicus proelium, ullam excogitare possum causam. Nam si primum inter Athenienses et Peloponnesios certamen commemorare voluisset, Sybota laudavisset. Vel inde a psephismate Megarico computare ei licuit, quod a multis pro belli causa haberetur.

At cur pugnam nominavisset ad Potidaeam, procul sitam? Quae non multum effecerat, nam semper etiam obsidebatur urbs.

Denique quid mensem indicare opus erat, quem ex annotatione de Pythodoro computare multo esset facilius? Viri cuiusdam docti verba esse mihi videntur, memoriae causa in margine adscripta, postea a librariis in contextum recepta [2]). Quorum quis erraverit, diiudicare nolim.

Inscriptionis autem pensiones *ἐς Μακεδονίαν* nunc definiri nequeunt. Fortasse Eucrates ille copiis Potidaeam obsidentibus novam pecuniam attulit [3]).

Nunc paucos capitis II, 2 explicandi conatus referam.

Greswellii opinio est haec, Gamelionis initio magistratum iniisse archontes, per duos igitur i a m menses archontem fuisse Pythodorum, cum Thebani impetum facerent in Plataeas, quam ob rem *ἔτι* hoc loco idem significare iudicat, quod *ἤδη*; quam refutare opus esse non videtur.

---

1) Similia dixit M.S. in Fleck. Ann. 1885, p. 308: „Locutio, qua usus est Thucydides II, 75, 1: *στρατεύματος τοσούτου ἐργαζομένου*, probat, lectoribus aequalibus notum esse eum numerum, posuisse illum. Qui iis notus esse non potuit, nisi ex opere ipso (II, 47)."

2) Steup quoque verba delenda esse censet et Lipsii reicit emendationem; numerum enim 16 aptum non esse, mutationem autem, quae cum ipsius computatione conveniat, sine nimia audacia adhiberi non posse. Aptum numerum esse arbitratur tredecimum vel quartum decimum.

3) Cuiusque prytaniae initio Potidaeam novam missam esse pecuniam, lepida Wilamowitzii est hypothesis.

Steupius autem e Thuc. V, 20, 2 [1]) effecit, plures quam decem archontes fuisse per decem belli Archidamici annos; fieri igitur posse contendit, ut Pythodorus duobus tribusve mensibus ante tempus postea legitimum magistratum inierit. At propterea anni partes archontum nominibus praetulisse mihi videtur Thucydides, quod illae his accuratius tempora indicare possent, cum praesertim in aliis civitatibus Atheniensium archontum nomina minus nota esse, probe sciret. Praeterea si ante tempus postea legitimum archon factus esset Pythodorus, id sine dubio annotavisset auctor in tam copiosa temporis definitione: neque tempus magistratus ineundi hoc bello mutatum esse, sumere ausim. Nam numeri alicuius corruptionem suspicari, id non nimisae audaciae est.

A. Schmidtium, Wilamowitzium, Mommsenium locutio ἔτι ἄρχοντος offendit, quippe quae hominum mortalitatem neglegat — fortasse iure; duobus enim locis parallelis (a Schmidtio laudatis), Plut. V. Cic. 23, Dio. Cass. 47, 15, de paucis modo diebus dicta est.

Attamen Schmidtii emendationem [2]) nullo modo recipere possum; proponit enim levissima mutatione: ἔτος (s. ἔτους) ἥμισυ δύο μῆνας ἄρχοντος; nempe antiquitus scriptum fuisse: ΕΤΔΒΜΗ sive ετ ι ″β′ μη, unde verba ἔτι δύο μῆνας orta esse. At quis mortalium, ut octo mensium spatium indicaret, non scripsisset potius ὀκτὼ μῆνας?

Multo melior esset Mommseni coniectura ἔνατον μῆνα, si numerus aptus esset.

De iis autem, quae deinde scripsit M.S. de temporum in Thucydidis opere ratione, nihil addam, cum res difficilior sit et intricatior pro meis viribus.

Sed unum verbum dicam de psephismatis Megarici tem-

---

1) σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων τῶν ἑκασταχοῦ ἀρχόντων κ. τ. λ.

2) Fleck. Jahrb. 1886, p. 333.

pore, cuius apud Thucydidem mentio fit I, 139, 1 sq.; 140, 3; 144, 2.

Post pugnam igitur ad Sybota decretum id esse, suspicantur viri docti. Quod vero Corinthii id non commemorarunt, cum Athenis contra Corcyraeorum legatos verba facerent, hoc nihil probare iure dixit M.S.

Cui propterea id tempus displicet, quod, cum ad Sybota iam pugnatum esset et statim post defecisset Potidaea, edictum, quod tunc demum promulgaretur, belli initium nominari non potuerit ab Aristophane in Pac. v. 609 [1]). Et populum quoque annum Ol. 86, 3, quo epimachiam cum Corcyraeis icerunt Athenienses, initium belli duxisse, e Pacis v. 990 effecit, quo per tredecim iam annos pacem se desiderasse, queritur Trygaeus.

Huius tamen loci pondus minuitur, ut mihi videtur, Acharnensium v. 266 et magis etiam Equitum v. 793 [2]). Praeterea Ach. v. 528 sqq. post belli demum initium enarratum psephismatis fit mentio.

Quominus autem cum Muellero [3]) sumamus, ante annum 434 decretum esse psephisma, hoc obstat, quod tunc nullius belli causa id fuerit. Non enim ex illo psephismate ortum est Corcyraeorum bellum, de quo praeterea graviter queri non poterant Athenienses. Pacis igitur locus (v. 609) explicari non potest, nisi non multo ante annum 431 constitutum est psephisma, quae solita est opinio. Unde sequitur, neque bellum Corcyraeum, neque expeditionem contra Potidaeam a Graecis cum magno bello coniuncta esse. Sic Thucydides quoque inter belli causas ea nominavit et scripsit I, 66: *οὐ μέντοι ὅ γε πόλεμός πω*

---

1) *Περικλέης.....ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος κἀξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον κ. τ. ἑ.*
(an *φλογμὸν*? ex pulchra Muelleri coniectura).

2) Ach. v. 266 de anno 425 legimus: *ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον*; Equit. v. 793 de anno 424: *ἔτος ὄγδοον οὐκ ἐλεαίρεις*. Huius loci explicatio, quam protulit Kock, omnino non ferenda esse mihi videtur.

3) Fleck. Jahrb. 1882.

ξυνερρώγειν, ἀλλ' ἔτι ἀνοκωχὴ ἦν. Neque spernenda esse mihi videntur ea, quae observavit idem post descriptionem pugnae ad Sybota (I, 55, 2): αἰτία δ' αὕτη πρώτη ἐγένετο τοῦ πολέμου τοῖς Κορινθίοις ἐς τοὺς Ἀθηναίους.

Quomodo hoc scribere potuit, si edictum illud prius etiam promulgatum est?

X.

De Plataearum obsidione (Fleck. Jahrb. 1885, p. 289—348, die glaubwürdigkeit des Thukydides geprüft an seiner darstellung der belagerung von Plataia).

Disputatio haec inter lepidissimas referenda est, quas scripsit M.S.; nec vero facetiis usus est, ut debilem dissimularet argumentationem: tam graves enim contra Thucydidem protulit accusationes, ut is, qui legat, delectetur quidem, sed eodem tempore maximo dubio angatur.

Nam non modo scriptor summi ingenii, ab omnium temporum hominibus summopere laudatus, ceteris historicis praelatus, de culmine deicitur, sed celeberrimum quoque episodium, cuius pulchritudinem in coelum sustulerant omnes viri docti, unum mendacium esse ostenditur, argumentis non diluendis.

Quid enim obicere possumus, ubi e viatorum de Plataearum regione verbis ostendit M.S., fieri non potuisse, ut muro ab hoste circumdaretur urbs? Quid, si computavit, tempus ad eum aedificandum non suffecisse? Quomodo credere possumus, longa tantae urbis moenia a tam paucis viris per duos annos defensa esse? Qualem aggerem fuisse sumere debemus, cum e II, 75, 6 usque ad urbis murum coacervatum eum esse pateat, sequens tamen caput explicari non possit, nisi spatii aliquid interfuisse pona-

mus? Quomodo e calce lateres fecerunt Peloponnesii (III, 20, 3; II, 78, 1)? Estne credibile, cuniculos facere potuisse Plataeenses in solo, in quo anno 1682 Venetiani idem perficere non potuerint (II, 76, 2)? Quo ligni fasces proiecerunt Spartani (II, 77, 3)? Quid profuerunt ταρσοί (II, 76, 1)? Cur a terra auferenda destiterunt Plataeenses (II, 76, 3)?

Et, ut fugae quoque paucas enumerem difficultates, quomodo fossa interior sicca fuit, exterior tamen multa aqua repleta et glacie obducta (III, 23, 5)? Cur non statim persecuti sunt Spartani parvum fugientium numerum (III, 24)? Atque animi causa difficultatem addere volo, quam non nominavit M.S.: quomodo κεραμὶς deiecta audiri potuit, cum tot hominum appropinquantium strepitum superavisset sonus mugientis procellae (III, 22, 4)?

Haec non omnia sunt, quae narrationi de Plataearum obsidione obiecit M.S. Sed sufficiunt; is enim, qui his quaestionibus respondere non possit, neque difficultates has tollere, mediis iam in tenebris est.

Qualem igitur de Thucydide opinionem habere debemus, si haec non ex veritate eum narravisse concedimus? Quomodo poterit effici, num quid veri insit in hoc episodio?

Cui quaestioni ne respondit quidem M.S., imo in disputationis fine postquam etiam multis aliis rebus se offendi professus est, opinatur, „dass die ganze voraussetzung auf der sie (narratio ea) beruht, hinwegzuräumen ist."

Male factum, non alteram eum partem addidisse, ut totam eius opinionem cognitam haberemus. Pollicitus quidem est: „das soll später weiter ausgeführt werden," sed licet viri promissis non diffidam, non tamen sine quadam sollicitudine ea lego. Nam complurium rerum explicationes in posterius tempus dilatas, vel multis annis post etiam desideramus, quanquam interea multas alias edidit disputationes; quapropter vereor, ne multa promissa vana redditura sit aetas et oblivio. Probe quidem scio, tres libros eum moliri, qui omnia ea comprehendere possint,

sed multum iam praeteriit tempus, neque in lucem prodierunt ii libri [1]).

Disputationi autem suae paucas praemisit M.S. observationes de historiae scribendae apud Graecos arte. Quos non, ut nos, veritatem nudam poposcisse contendit, neque aegre tulisse, si e suo ingenio ornaret historiam auctor et quodammodo mutaret [2]); cuius rei exempla esse tragoedias, quarum argumenta nos mythos dicere soleamus, Graeci vero historiam vocaverint [3]); inter omnes autem notum esse, quam libere historiam eam mutaverint tragoediarum poetae.

Attamen omnes, opinor, explosissent tragoediam, in qua Clytaemnestrae pepercisset Orestes: solusne perpetraret facinus, an adiuvante Pylade, hoc minus curabant Graeci.

Gravissimae autem sunt accusationes in Thucydidem prolatae. Non enim *πάρεργα* modo eum mutavisse, affirmat M.S., sed apertissima de tota re mendacia consuisse.

Praeterea etiamsi Graecorum sensus criticus non fuit, qualis hodiernus, usque adeo veritatem eos neglexisse, nemo contendere potest, qui Thucydidis primum legerit librum. Quem licet provectiore demum aetate scripserit, sine dubio tamen partes historiae ante scriptas, quae tantopere peccarent contra artis suae praecepta, quae ipse sibi proposuisset, aut sustulisset, aut correxisset. Et tale prooemium non Thucydidis modo detegit ingenium, sed quodammodo quoque eius aequalium — non omnium sane;

---

1) 1°. „Studien, Adversarien, Coniectanea zu Thukydides mit Benutzung der steinschriftlichen Urkunden," cuius pars prodiit anno 1878 (Demosthenis strategia, in Museo Rhenano).

2°. „Neue polemischen Studien zu Aristophanes und den Komikern."

3°. „Eine (a°. 1883 schon ziemlich weit vorgerückte) Untersuchung über die quellen zur geschichte des peloponnesischen krieges.

2) „So werden sie auch dem erzähler das recht des epikers, die von ihm als stoff gewählte historie, alte oder neue, seinen künstlerischen und anderweitigen idealen gemäsz, frei und selbständig zu gestalten, nicht vorenthalten haben" p. 290.

3) Haec Koechlii vera est observatio.

attamen necesse est, inter Graecos eius aevi complures fuisse, quos portentosarum logographorum fabularum taederet. Atque quis Thucydidem tulisset, tantopere historiam exornantem et refingentem [1]), qui in operis sui exordio pollicitus esset, non scripturum se esse ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες .... οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον, sed ipsas res gestas rerumque causas esse expositurum [2]).

Neque mendacium non detectum iri expectare poterat Thucydides, nam Plataeenses, qui evaserunt et Peloponnesios, qui urbem obsederunt, alia narravisse probabile est. Verissima autem sunt, quae scripsit M.S. Thuk. Forsch. p. 217: „Auch dürfen wir doch nicht vergessen, dass Thukydides zunächst für seine Zeitgenossen schrieb, die also eine so handgreifliche Täuschung des Lesers ..... sofort durchschaut haben müssen." Cuius observationis ne hic quidem obliviscendum est.

Nam contendo, fieri non potuisse, ut idem homo et sapientia illa daret praescripta et Plataeensium historiam tantopere detorqueret. Id non est in rerum natura neque causa, ob quam id fecisse Thucydidem putat M.S., scilicet ut lectores obsidendi doceret artem, sufficit [3]).

Quam ob rem omnia cupide arripienda esse censeo, quibus Muelleri dubitationes vel paululum dilui posse videantur. Quod facere conabor.

Ante omnia autem quaerendum est, unde eum murum desumpserit historicus; nam sine ulla causa finxisse eum, tantum vallum aedificatum esse, id absurdum esse mihi videtur. Quo quoniam urbem circumdari non potuisse e viatorum annotationibus probavit M.S., ad Koechlii hypo-

---

1) Melius dicerem: „mutantem", nam p. 335 episodium de Plataeis vocat M.S.: „diese fratze von militärischen operationen, dieses zerrbild einer belagerung, dieses kümmerliche product einer nichts weniger als lebendigen, thatkräftigen, schöpferischen phantasie."

2) I, 21, 1.

3) De hac docendi cupidine postea agam; vid. p. 141 sqq.

thesin refugere vellem, acropolin tantummodo occupavisse Plataeenses.

Quod si verum est, antiqua urbis moenia reficere potuerunt Lacedaemonii, lateres autem e domibus desertis desumere: neque tum amplius numerus 480 defensorum tantopere offendit. Neque veri dissimile est, Plataeenses, post Thebanorum impetum, hominibus inutilibus, mulieribus, liberis Athenas missis (Thuc. II, 6, 4), in minorem acropolin recessisse et bene hanc munivisse [1]).

Quam hypothesin non diluit M.S., ut mihi videtur. P. 307 enim non sibi displicere eam confitetur; „sed (addit) cum hostes statim ceteram urbis partem occupavisse necesse sit, de hac parte minore dicere non potuit Thucydides: περιετείχιζον τὴν πόλιν κύκλῳ; quas nugas esse, nos docet tabula geographica" [2]).

Quae verba non intellego, nam in tabula geographica, quam appinxit p. 300, arcis murum urbis moenibus undique cinctum [3]) videmus, neque vocabulum πόλις pro acropoli Muellerum offendere potuit [4]).

Similia autem scripsit p. 322, nisi quod hic praeterea rogavit, nonne mirandum sit, post tam copiosam obsidionis descriptionem dubitari etiam posse, quibus locis fuerint defensores et impugnatores. Quae dubitantis sunt verba et alteram hypothesin non omnino abiciendam esse, quasi confiteri iis videtur.

---

1) Leake in versione Germanica haec habet: „die akropolis, wenn eine innere einschlieszung, die nicht auf der höchsten stelle des plateaus liegt, so genannt werden darf, ist augenscheinlich aus steinen erbaut, die von älteren gebäuden hergenommen sind." His verbis hypothesis ea confirmatur.

2) „Aber wenn die besatzung sich beim erscheinen der Peloponnesier in diese akropolis zurückzog, so musten die feinde das geräumte plateau natürlich sofort in besitz nehmen, und wie konnte dann Thukydides in bezug auf diese nordwestliche ecke [?] des plateaus sagen: περιετείχιζον τὴν πόλιν κύκλῳ? dass das unsinn ist, lehrt ja ein blick auf die karte."

3) A Leakio arx ea vocatur „eine innere einschlieszung."

4) Cf. Thuc. II, 15, 6.

Atque rogatum eum velim, nonne praestet tale narrationis Thucydideae fundamentum ponere quam ipsi scriptori inutilium mendaciorum studium tribuere? Vel sic tamen satis magnus difficultatum superest numerus, ad quas explicandas nihilominus ponere debemus, ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον scripsisse auctorem.

Neque tantopere mirandum est, hic a praescriptis suis aberrasse eum; quod si nunquam fecisset, fere perfectus fuisset. Nam non tanti momenti fuit obsidio Plataearum, quam e fusa eius descriptione suspiceris; sed ut expeditionem in Aetolia copiosius quam par erat propterea narravisse videtur, quod ipse adfuisset, ut episodium de Pisistratidis ex auctoris cum ea familia cognatione ortum est, ita huius quoque narrationis prolixioris causas non ex rei gravitate sed ex ipsius scriptoris animo repetere licet. Aut Plataeas amavit, aut indignum urbis fatum artificis animum percusserat.

Quidquid autem id est, uberrimam obsidionis dare voluit descriptionem, quam ob rem utriusque partis conatus addidit, quos re vera factos esse veri non est simile. Praeterea res gestas ex ore Plataeensium, qui evaserant, collegisse videtur, hos autem in maius omnia celebrasse, facile credimus, neque quantum de illorum narrationibus detrahendum esset, ut verum reperiretur, facile diiudicari poterat.

Ita narrationis de vallo interiore a Plataeensibus constructo [1]) nucleus esse potuit murus, qui parvam partem meridionalem a cetera urbe separabat, quam partem Plataeenses defendisse suspicatur Vischer; iniuria, ut mihi videtur. Is enim locus cingi non potuit neque muro, neque fossa, neque custodiis, quod ex eadem tabula geographica apparet; et tamen a ceteris mortalibus seclusi fuerint incolae necesse est. Praeterea eam partem ante ceteram urbem desertam esse, credibile est, cum murus interior

---

1) Thuc. II, 76, 3.

postea factus esse videatur, quippe cuius latus meridionale turribus fuerit munitum [1]).

Causam autem, ob quam vi abstinuisse dicuntur Lacedaemonii [2]), neque cum eorum conatibus quadrare, neque per se verisimilem esse, iure contendit M.S. Fortasse Peloponnesii, quos longae oppiduli obsidionis puderet, ut saepius, praetextum aliquem excogitaverunt.

Ab Herodoto in obsidionis narratione multa mutuatum esse Thucydidem, huius rei plurima et certissima dedit exempla M.S.

At in similitudine quoque statuenda summa opus est prudentia. Nam etsi scriptores antiqui multo magis quam hodierni alius alium de industria imitati sunt, non omnes ideo congruentiae ita explicandae sunt.

Itaque cum Thucydides II, 76, 2, verbo *ξυντεκμαίρεσθαι* de Plataeensibus usus sit, cuniculi sui regionem et longitudinem computantibus, Herodotus autem II, 150 duos fures similia facientes, *σταθμεομένους* vocaverit, Muellero dubium non videtur, quin alter ab altero desumpserit vocem. At nonne omnes homines, qui cuniculos faciunt, *συντεκμαίρεσθαι* debent? Nonne igitur verisimile est, hoc verbum vel synonymum in vita cotidiana et in re militari in usu fuisse?

Profecto loci paralleli saepe optima sunt argumenta, attamen venatione acerrima praedam non dignam (imo nonnunquam ridiculam) consecuti sunt viri docti.

Eodem vitio laborat Muelleri hypothesis de Thucydide ab Aristophane deriso, ut supra vidimus (vid. p. 91 sq.).

Quidquid autem id est, Thucydidis fides historica iterum vehementer percussa est et nonnisi summa prudentia eum adeundum esse, mihi certe nunc constat.

Et eodem fortasse modo alia operis episodia pro narra-

---

1) Cf. G. Lollingium in Baedekeri itinerario. Idem dicit, acropolin quoque muro transverso a cetera urbe separatam fuisse. At hoc non verum esse, docet tabula geographica.

2) Thuc. III, 52.

tionibus habenda sunt, ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον scriptis et operae pretium facturus esset M.S., si in totum Thucydidem simili modo inquirere vellet.

Verum qualemcunque de auctore opinionem habere debemus, sine dubio non ut monstrum depingendus est, quale psychologia non patiatur; id, quod fecit M.S. in disputatione sua de belli Peloponnesiaci primo anno.

XI.

De Corcyra (Fleck. Jahrb. p. 585—648).

Eodem modo, quo in Plataearum obsidionis narratione difficultates multas inesse ostendit M.S., explicatione non tollendas, in Corcyraeorum quoque historia permulta detexit, quae lectorem offendere debent.

In quae paullo accuratius inquirere volo, quod solito suo vitio hic laborat M.S. Nam in hac quoque disputatione summa sagacitate ad necessitatem res traditas demensus est, neque nihil effecit, sed eventu quasi elatus, nimia festinatione e paucis ἑρμαίοις hypothesin construxit, qua deinde ut certo certiore usus est.

Tot autem res Muellerum offenderunt, ut neque ex contextus corruptione explicare eas potuerit, neque manui interpolatoris sui sanguinarii tribuere; verum Wilamowitzii editorem [1]) auxilio vocare debuit; de quo postea pauca dicam.

Primum videamus, quas reppererit difficultates in libris I, III, IV.

Negat, credibile esse, auxilium a Corinthiis Epidamnum missum πεζῇ Apolloniam iter fecisse (I, 26, 2); et miratur, quomodo optimatium exercitum urbem obsidentem per-

1) Cf. Cur. Thuc. p. 17.

ruperint. „Das ist (ait p. 587) in der that ein weiter und beschwerlicher und sicher nicht ungefährlicher zug."

Quod iter difficilius et longius fuisse, quam si navigassent, nemo negabit; de periculo tamen minus vera dixit M.S. Nempe barbaros eius regionis populos colonis nocuisse suspicatur. At si Thuc. II, 68 et 80 evolvimus, plurima earum gentium legimus nomina, quae Peloponnesiorum sociae et amicae contra Athenienses et Acarnanes pugnant. Atque addere possum I, 47, 3: *οἱ γὰρ ταύτῃ ἠπειρῶται ἀεί ποτε αὐτοῖς φίλοι εἰσίν.*

Quae deinde de optimatium exercitu perrupto contendit M.S., ea aperte falsa sunt. Nam primum Apollonia Epidamnum mari vecti esse videntur; praeterea apud Thucydidem de obsidione nihil legimus nisi post eorum adventum [1]). At antea optimates *ἐλήζοντο* tantummodo Epidamnios.

Similiter Muellerum offendit annotatio de Corinthiis colonis, missis in urbem Epidamnum, quam Corcyraeorum classis, Corinthia multo praestantior, obsidebat (I, 27, 1): quam ob causam haec verba ex altera recensione praecedentis capitis (26, 1) desumpta esse suspicatur, editorem autem, id non intellegentem, importuno loco ea inseruisse. Fieri sane potest, ut verum viderit M.S.; attamen dubito, num remedio tam violento opus sit. Colonos enim, ut vinclum inter Epidamnum et patriam confirmarent, emisisse Corinthios credibile est et illos instigavisse *τὸ μῖσος τῶν Κορκυραίων* (25, 3), indignatione ob urbem sociam obsessam auctum, „ut periculo neglecto fratribus auxilio irent." Nam talibus, puto, verbis Corinthios adhortati sunt oratores. Atque tum demum, cum consilii omnino inopes sumus, talia auxilia iure quodam advocari possunt.

Deinde ut intellegi possit, cur Thebani, Phliasii, Elei Corinthiis naves et pecuniam praebuerint, ad hanc hypothesin confugiendum arbitratur M.S., iam tunc inter Athe-

---

1) C. 26, 5: *στρατεύουσιν ἐπ' αὐτοὺς οἱ Κορκυραῖοι τεσσαράκοντα ναυσὶ μετὰ τῶν φυγάδων.... καὶ τοὺς Ἰλλυριοὺς προσλαβόντες.... ἐπολιόρκουν τὴν πόλιν.*

nienses et Corcyraeos vinclum aliquod extitisse et Athenarum odio, ut Corinthios adiuvarent, inductos esse eos populos. Quae tamen hypothesis Corcyraeorum et Corinthiorum orationibus prorsus diluitur: I, 32, 1, *μήτ' εὐεργεσίας μεγάλης μήτε ξυμμαχίας προυφειλομένης*, I, 40, 1, *Κορκυραίοις δὲ οὐδὲ δι' ἀνοκωχῆς πώποτ' ἐγένεσθε*, I, 37, 2, *φασὶ δὴ ξυμμαχίαν διὰ τὸ σῶφρον οὐδενός πω δέξασθαι.*

Quod autem a lectoribus hodiernis res aliqua non intellegatur, inde nihil probatur. Nam si e. g. libri primi capita 24—26 periissent, quis explicare posset, cur Corinthii, qui optimatium imperio utebantur, Epidamnio demo auxilio iverint, Corcyra vero, ubi penes populares erat summa potestas, ab optimatium steterit parte? Quis, ut aliud laudem exemplum, hodierna Europae historia lecta, in qua foederis triplicis nulla facta esset mentio, causam excogitare posset, cur Russii, cum multas copias prope ab Austriacae finibus contraxissent, non tamen inceperint bellum?

Simile est Muelleri iudicium de loco vicino (I, 28, 3), ubi Thucydides narrat, Corcyraeos arbitrio oraculi Delphici, quod Epidamniis favebat (c. 25, 1) rem committere voluisse. Hoc absurdum vocat M.S., nullam enim apparere causam, cur Pythiam nunc adire voluerint, quos postea annis 427 et 410 a Dodonae sacerdotibus consilium petiisse sciamus [1]).

At nonne latere potuit Corcyraeos oraculum ab Apolline Delphico Epidamniis datum? Nonne credibile est, quod cum Graecis sibi res esset, Delphico deo rem committere eos maluisse? Nonne fieri potuit, ut Pythia ab iis tunc esset corrupta [2])?

Praeterea M.S. miratur, Lacedaemonios nihil fecisse, neque

---

1) Duae supersunt laminae plumbeae, quibus Iovem Dodonaeum consuluerunt Corcyraei (Collitz, Dialectinschriften, 1562 et 1563). Cf. in Fleck. Ann. 1882 Pomtowium „über die orakelinschriften von Dodona."

2) Cf. Thuc. V, 16, 2. Cic. de divin. II, 57.

Corinthios ab iis auxilium petivisse sed Corcyraeos. At Corinthii, quibus navibus et pecunia opus esset, ex Lacedaemone ea se non esse consecuturos probe intellegere poterant, fortasse autem frustra id conati sunt; Corcyraei vero Lacedaemonios non adierunt. Nonnisi una cum Lacedaemoniorum [1]) et Sicyoniorum legatis, οὓς παρέλαβον (in itinere, puto), advenerunt et Corinthiis ut a bello desisterent, persuadere voluerunt. Ceteri vero legati quae dixerint, e Thucydide cognoscere non possumus, sed si ii quoque pacem suaserunt, ea omisisse eum, non est quod miremur. Nonne enim de Mytilenaeis ἄλλαι γνῶμαι ὑφ' ἑκάστων ἐλέγοντο (III, 36, 6) et tamen duae modo nobis innotuerunt sententiae? Neque aliter se habet res VI, 15, 1.

Corcyraeos autem post priorem pugnam non novas sibi aedificavisse naves, id ratione carere, optimo iure contendit Muellerus, Corinthios enim bellum parantes eos latere non potuisse. At ubi orationem, quam Athenis habuerunt, cum ipsorum moribus non congruere censet, errare mihi videtur; quippe quae priore Corcyraeorum neglegentia satis explicetur. Cur autem tam incuriosi fuerint, ignoro; fortasse suis ipsorum viribus aliquantisper nimium confisi sunt; sed cum Corinthiis non amplius pares se esse intellegentes Athenienses adirent, superbis verbis uti iis non licebat. Nam cum antea omnes societates effugissent, expectare non poterant, tunc, cum bellum sibi immineret, facile receptum se iri. Nec vero classis suae magnitudinem et utilitatem commemorare omiserunt.

Neque intellego, quomodo rem sibi fingat M.S. Nam non Thucydidi sed librario (vel editori) orationem nos debere, quam aptissimam et admodum perspicuis verbis expressam iure vocavit Grote [2]), id profecto contendere non poterit.

---

1) Lacedaemonii propterea fortasse bellum prohibere conati sunt, quod demo auxilium mitti a civitate ab optimatibus gubernata, improbarent.

2) VII, p. 77, „among the plainest and most business-like in the whole work."

Corcyraeorum captivos, quos ex pugna ad Sybota abduxissent Corinthii, 800 talentis redemptos esse, refert Thucydides III, 70, 1. Quod pretium absurdum esse, optime probavit M.S., etsi fiduciaria fuit emptio. Vocabulo autem *μνῶν* proposito pro *ταλάντων* contextui mederi conatus est: quae emendatio incerta quidem est, quia de numeris agitur, attamen aptissima. Verum quae deinde de captivorum numero dixit [1]), ea diluere opus non esse mihi videtur. Et roganti ei, cur non cum Corinthiis captivis (I, 30, 1) permutati sint, nihil respondere possumus nisi ignotum id esse; fortasse eos retinuerant Corcyraei, ut a novo bello Corinthios deterrerent, spe tamen frustrati necaverant vel vendiderant. Quidquid id est, Corcyraei captivi in patriam redierunt; qui *ἕκαστον τῶν πολιτῶν μετιόντες* [2]) clam defectionem ab Atheniensibus praeparaverunt (et cum laterent, magistratus eos prohibere non potuit) [3]).

---

1) p. 593.

2) Ea, quae his verbis obiecit p. 594, fere puerilia sunt.

3) In annotatione paucis verbis tangam Thucydidis locum de duabus navibus Attica et Corinthia, III, 70, 2, *καὶ ἀφικομένης Ἀττικῆς τε νεὼς καὶ Κορινθίας πρέσβεις ἀγουσῶν καὶ ἐς λόγους καταστάντων ἐψηφίσαντο Κορκυραῖοι Ἀθηναίοις μὲν ξύμμαχοι εἶναι κατὰ τὰ ξυγκειμένα, Πελοποννησίοις δὲ φίλοι ὥσπερ καὶ πρότερον.* Quem locum explicare non possum propter id, quod obiecit M.S., fieri non potuisse, ut Pithia eiusque factione magnam habentibus auctoritatem, quippe qui paullo ante ipse liberatus inimicos condemnasset, decernerent Corcyraei, symmachiam [? cf. I, 44, 1] quidem cum Atheniensibus servaturos se esse, sed Peloponnesiorum quoque amicos se fore, ut antea [?]. Propterea haec verba non Thucydidis esse verisimile duco — non quo Corinthiorum navis aut Naupacti aut Salaminis custodias latere non potuerit, quippe quae Cyllena proficisci posset, neque quo eorum legati insula et comitiis prohibiti fuerint, coniurati enim populo persuadere poterant, ut aurem saltem iis praeberent, sed quod huiusmodi decretum factum esse non est credibile. Quanquam cur e suo ingenio ea addiderit editor, iustam causam nullam excogitare possum, et negari nequit, ultimis huius capitis verbis alteram navem respici videri.

Genuina autem Thucydidis verba aliquot intercidisse, quae Muelleri est opinio, hoc sumere necesse non est, verborum enim sequentium (§ 3) structuram tuetur similis locus I, 56, 2.

Pithiam Atheniensium ἐθελοπρόξενον accusaverunt, cum factionem suam satis confirmavisse sibi viderentur; qui tamen absolutus quinque viros sibi inimicos reos fecit. Hi cum condemnati multam solvere non possent, ad aram confugerunt; Pithias autem ut lege ageretur populo vel senatui persuasit et vinclum, quo cum Atheniensibus iuncti erant, confirmare voluit, ut in posterum non epimachia sed symmachia inter eos foret. Quod ut prohiberent eius adversarii, viro necato rerum potiti, pertulerunt, ut neque Peloponnesios neque Athenienses in portum reciperent, nisi una navis venisset. Haec omnia qui nuntiarent Athenas missi legati statim post adventum in carcerem coniecti sunt; Corcyrae autem optimates, postquam navis Corinthia et legati Lacedaemonii illuc pervenerunt, demum aggressi pugna vicerunt.

In qua narratione permultas deprehendit M.S. difficultates. Cur enim non Alcidae adventum, quem navem eam Corinthiam nuntiasse verisimile est, expectaverunt optimates, ut huius auxilio adversarios opprimerent? Ad hanc quaestionem certum responsum nemo dare poterit, sed occasionem, quae sibi apta videretur, arripuisse eos crediderim. Verum enimvero non statim post Pithiam necatum id fecerunt, quae Muelleri videtur opinio, sed aliquanto post, ut patet e verbis ἐν δὲ τούτῳ κ.τ.ἑ. (III, 72, 2), nempe cum legati Athenas iter facerent. Quaestio igitur Muelleri de impetus tempore: „War das volk immer noch in der ekklesia oder sonst massenhaft versammelt?" (p. 596) nullius est momenti.

Demus autem superatus acropolin et urbis altiora occupavit et tertio die optimates vicit, licet hi fori domos fere omnes accendissent, ut illos arcerent.

Tunc Naupacto advenit Nicostratus, qui res composuit et popularem rerum statum reduxit.

Haec omnia rettulit M.S., nullis additis observationibus, nisi quod fori incendium Plataearum obsidionem sibi in

mentem revocare contendit [1]). De quo incendio vid. infra.

Hucusque igitur ostendisse mihi videor, difficultatum earum maiorem partem explicari posse; et M.S. ipse confitetur, ea, quae Thucydides referat, non omnem fidem excedere [2]).

Attamen concedo, ea multa praebere argumenta, unde demonstretur, Thucydidem historiae scriptorem non optimum, nedum perfectum fuisse.

In iis vero, quae dehinc narravit, tot res insolitas et insulsas inesse dicit M.S., ut a Plataearum obsidionis portentis vix quicquam differant.

Nicostratum enim, postquam res composuit, statim abire voluisse sed a demi praefectis rogatum quinque reliquisse naves, pro quibus quinque alias a Corcyraeis acciperet. Quas cum adversariis suis implere vellet demus, hos in Dioscurorum templum confugisse, ne Athenas ducerentur metuentes; et cum invanum eos sedare conaretur Nicostratus, demum iratum αὐτῶν τινὰς οἷς ἐπέτυχον interfecturum fuisse, nisi Atheniensium dux id prohibuisset. Quod cum ceteri viderent, supplices in Heraeum consedisse, demum autem metuentem in insulam e templi regione sitam eos traiecisse.

Haec sine dubio valde obscura sunt. Quomodo enim Nicostratus, qui Alcidam magna cum classe appropinquare scire deberet, quinque naves Corcyraeas inimicis completas sibi addi siverit, non intellego et iure miram rem notavit M.S.

At ubi fori illud incendium (c. 74, 2) factum non esse inde efficit, quod ex optimatium domibus arma corripue-

---

1) p. 597: „Aber wie ist mir denn: das kommt mir so bekannt vor, Freilich! mir steigt in die nase geruch vom platäischen brande."

2) p. 597: „dass die vorliegende erzählung sich in der hauptsache noch innerhalb der grenzen der wirklichkeit und der historischen überlieferung hält." Quibus verbis dubitationum suarum pondus valde minuit. „Praeter verba de legatorum navibus (ita addit) nihil in narratione inest, quod omnino offendat (nichts absolut anstösziges)."

rit populus, assentiri ei non possum. Nam non omnes nobiles in foro habitabant [1]), neque omnes domi conflagraverint necesse est; neque sana esse verba tradita arbitror. Nam nulla erat causa, opinor, cur populus iratus urbem percurreret et ex optimatium domibus sibi arma colligeret. Cur non aut e propriis domibus ea attulerunt, aut si ipsi inermes erant, e prima quaque potius ea abripuerunt?

Ii autem, qui in plateis paene necati sunt, in Heraeum confugerunt; qui vero his se adiunxerunt non optimates esse potuerunt iidem, quos in Dioscurorum templo vidimus, nam horum migrationem voluntariam ex altero in alterum templum ponere absurdum est; qui autem in Heraeum considebant, γίγνονται οὐκ ἐλάσσους τετρακοσίων (75, 5), e quibus verbis apparet, sensim crevisse eorum numerum. Utrum autem omnes supplices in insulam traiecerint duces factionis popularis, quod verisimilius est, tametsi non dicitur, an eos modo, qui in Heraeo erant, id incertum manet.

Classis autem Peloponnesiaca postquam advenit et Corcyraeos profligavit, populares in Heraeum denuo reduxerunt supplices, quod metuebant, ne contra urbem navigaret victor Alcidas (c. 79, 1). Deinde cum iis agit populus et ut naves conscendant persuadet. — „Mirifica narratio: bis idem referri apparet," scribit M.S. [2]). Et re vera ex duplici recensione haec quodammodo explicari possunt; nam in duo templa fugiunt supplices, bis, ne Alcidas contra urbem navigaret, metuisse narratur demus, bis optimatibus ut naves conscendant persuadere conatur.

Cum autem Alcidam abiisse et Eurymedontem appropinquare cognovissent Corcyraei, Messenios [3]) in urbem introduxerunt et naves, quas compleverant, in portum Hyllaicum navigare iusserunt. Interea optimates interficiunt,

---

1) οἱ πολλοὶ αὐτῶν c. 72, 2.

2) „Eine seltsame erzählung, offenbar dasselbe zweimal berichtet" p. 601.

3) Scilicet, quos adduxerat Nicostratus.

eos quoque, qui conscenderant; ex supplicibus autem, qui in Heraeum consederant, quinquaginta damnant, quod cum vidissent [?] ceteri, se invicem variis modis necaverunt. Deinde per septem dies, per quos mansit Eurymedon, contra adversarios saeviit populus.

In his autem permulta iure offenderunt Muellerum. Quomodo enim Nicostratus Messeniis suis, ut optimates trucidarent, mandare potuit, cum antea vel prohibuisset, ne pauci interficerentur? Cur in Hyllaicum portum navigare debuerunt naves? Cur paucos eos, qui conscenderant, non in maiore portu necare potuerunt?

Quae tamen quaestiones, quanquam iustae, non tanti momenti esse mihi videntur, quanti superiores. Nam quod ad Messenios attinet, fieri potuit, ut Eurymedon, quamdiu Corcyrae esset, cunctis copiis et navibus Atheniensibus praeesset et milites igitur eos demo commodaret [1]). Quod tamen dicere debuisset Thucydides. Navigatio autem in portum Hyllaicum mirabilis sane est, sed fortasse iustam ob causam, quae nos latet, iussa est. Talia enim obscura et mirifica videri solent, cum pars tantum rerum gestarum innotuerit; cetera postquam comperta sunt, fiunt clara et simplicia.

Ea autem, quae postremo obiecit, supplicibus neque arma fuisse neque laqueos, quibus se necarent, levissima mihi videntur.

Sequitur peroratio de seditionibus III, 82—84.

Superest etiam narratio in quarto libro (c. 46—48), quam ex prioris loci (III, 70 sqq.) recensione altera desumptam esse suspicatur M.S. Hunc enim in modum sibi finxit rem:

Thucydidem, si et ea, quae in tertio libro et quae in quarto legimus, una edidisset, *παραίνεσιν* post quarti libri

---

1) Fatendum tamen est, hanc explicationem impugnari verbis, quae leguntur III, 81, 2. Nam ante navium Atticarum adventum Messenii in urbem introducti esse narrantur.

caput 48um additurum fuisse[1]); quae cum in tertio legatur, nonnisi post totum opus editum quarti libri ea capita scribere eum potuisse. Quaerendum igitur esse, cur ea composuerit; cuius rei simplicem causam esse dicit hanc: seditionis in tertio libro descriptionem a multis vituperatam esse ob multas in ea res veri dissimiles; quod aegre ferentem Thucydidem nova ratione eandem tractavisse στάσιν, nondum tamen in alterius locum substituisse. Editorem autem, cum hanc quoque narrationem repperisset, circumspexisse locum, quo eam inserere posset, mox quartum librum elegisse, quippe quo narraretur, Corcyram appellere iussum esse Eurymedontem.

Quae si vera sunt, si igitur priorem narrationem corrigere voluit Thucydides, necesse est, alteram recensionem non iisdem laborare difficultatibus, nec vero scriptorem ea, quae sana essent, mutavisse. At multum abest ut ita res se habeat.

IV, 46 sqq. autem legimus, Eurymedontem et Sophoclem expugnavisse castellum in monte Istona, quod occupassent optimates Corcyraei (III, 85), et captivos cum Athenas mittere in animo haberent, interim in insulam Ptychiam traiecisse; quae insula Muellero prope ab Heraeo sita esse videtur. His duces partium popularium navem praebuisse utque fugerent persuasisse, adversariis suis ab Atheniensibus eos traditum iri mentitos; cum vero optimates ita circumventi in fugam se coniecissent et capti essent, Atheniensium strategos re vera eos tradidisse factioni populari, fugae praetextum cupidius arripientes, quod ipsis in Siciliam navigandum esset, aliis autem relinquere nollent captivos Athenas deducendos. Optimates igitur a Corcyraeis in magno aedificio inclusos esse et vicenos esse abductos ut verberarentur et necarentur; quod cum cognovissent ceteri neque quemquam intrare paterentur, populum, qui portas diffringere nollet, tecto demolito et de

1) Cur hoc verum non esse mihi videatur, paullo inferius dicam, vid. p. 135.

muris sagittis deiectis captivos interfecisse, ipsos quoque mortem sibi consciscentes.

Hanc autem narrationem cum ea quae est in tertio libro magnam habere cognationem, nemo negabit. Captivi enim in insulam traducti, in aedificio inclusi, se ipsi necantes, utrobique occurrunt: et re vera pauca quaedam prioris descriptionis vitia correxit Thucydides.

Nam tela inclusi unde habuerint, hic legimus; neque iam vident ea, quae extra aedificium fiunt, sed cognoscunt.

Attamen hoc vituperationi obnoxium, quod non in templo sed in aedificio inclusit captivos et Corcyraeos sine causa igitur portas diffringere nolentes fecit. Praeterea in hac descriptione Nicostrato nullus est locus; ipse igitur Thucydides si alterius recensionis locum priori substituisset, strategi eius nomen prorsus evanuisset. Et ubi sunt septem dies illi, per quos in optimates saevitum est?

Nonne multo praestat sumere, in utraque descriptione ingenio suo indulsisse Thucydidem et aeque ac Plataeensium obsidionem duas has quoque στάσεις ornavisse, ita a vera historia deflectentem?

Videamus autem, cur et quomodo locum inseruerit editor. Respondet M.S., hominem, qui legisset IV, 2, Corcyram et in Siciliam missum esse Eurymedontem, sed cap. 8 revocatum, suspicatum esse, hunc ducem postea tamen illuc profectum esse; de suo autem addidisse editorem libri III caput 85, quo pons fieret inter duos seditionis actus, sed rem male ei cessisse, quod supra demonstrasse se contendit M. S. [1]).

At eo loco hoc unum crimen contra illud caput protulit, fieri non potuisse, ut in tanta insula, tam divite, tam fertili, famis causa existerent quingentorum latronum rapinae, neque hos τῆς γῆς κρατεῖν potuisse. At latrones in montium latebris degentes et multa nocuisse et regionem infestam reddidisse, id minime mirandum est. Nonne anno

---

1) „Slecht genug, wie ich oben s. 605 dargethan habe," ait M.S. p. 614.

praecedenti in Russia prope ab urbe 30000 incolarum latronum manum viatores per temporis aliquod spatium occupavisse audivi et ne ducentos quidem milites silva, in qua degerent, undique circumdata regionem eo malo liberare potuisse? Et licet ea, quae de fame scripsit Thucydides, in maius fortasse sint aucta, omnino falsa ea esse contendere non ausim, quippe quae concinant cum iis, quae leguntur IV, 2.

Si vero editor de suo commentus est caput 85, cur ex feraci suo ingenio exprompsit tot rerum mentionem, quibus omnino non indigeret ad pontem illum, quem dicit M.S., construendum?

Neque haec homini suffecerunt, si credendum est Muellero, sed verba quoque: *καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε· οὐ γὰρ ἔτι ἦν ὑπόλοιπον τῶν ἑτέρων ὅ τι καὶ ἀξιόλογον*, e tertio libro in quartum (c. 48) transposuit, quibus duo episodia artius coniungeret, quanquam ea, quae hoc libro narrantur, proprie *στάσις* vocari non possint, sed bellum contra hostem.

At p. 612 dixit M.S., Thucydidem, si utramque narrationem simul edidisset, post libri IV caput 48, post *στάσιν* igitur finitam, perorationem additurum fuisse. Quae igitur observationes altera cum altera pugnant.

Ego autem neutram rectam esse arbitror. Non enim necesse fuisse mihi videtur, Thucydidem perorationem post IV, 48 addidisse, quae in tertio libro multo aptiorem tenet locum; saevissima enim ibi praecedunt facinora, quae, per satis longum tempus admisit populi *διισταμένου* rabies exacerbata. Sed post brevem de optimatium caede narrationem minus apposite tale quid addidisset: et Muellerum rogare velim, quid retinuerit Thucydidem, quominus, dum componebat suum opus, post anni 410 potius seditionem eam transponeret, quae ei libri IV caput 48 scribenti nota esset[1])?

---

1) *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.*

Atque ut contra alteram quoque Muelleri observationem aliquid proferam, cur non bellum, quod Corcyrae inter factionem popularem et exules gestum est, pro στάσεως parte haberi potest, quippe quod cum seditione artissime cohaereat? Quod magnum fuisse ideo scripsisse mihi videtur auctor, quod priorum quoque turbarum memor esset. Et quomodo III, 81, dicere potuisset Thucydides, ex optimatibus qui supererant non multum valuisse, siquidem illi castello occupato tantopere insulanos vexaverunt, ut vel classis Atheniensis arcessita sit ad res eas componendas? Bonum igitur locum tenent ea verba.

Superest, ut de Eurymedonte videamus, quem anno 428 Corcyrae adesse non potuisse, multis argumentis probare conatus est M.S.

Optimo autem iure dixit, in libro tertio semel tantummodo Eurymedontis mentionem fieri, c. 81, 4: ἡμέρας τε ἑπτὰ ἃς ἀφικόμενος ὁ Εὐρυμέδων ταῖς ἑξήκοντα ναυσὶ παρέμεινεν. Quibus verbis cum annotatione suspecta de φρυκτωρίαις (c. 80, 2) omissis [1]), totam narrationem bene, imo melius procedere: tum enim Nicostratum, de quo nunc nihil amplius audiamus, Corcyrae mansisse, dum trucidati sunt optimates.

At quomodo vir, cui mite esset ingenium, cum animos iratos utrorumque sedavisset, sine causa (nam Alcidae classis abierat) tam atrocia facinora pati potuit et ad ea perpetranda populo rabido Messenios suos mutuari?

Et cur ea omnia ex ingenio suo addiderit Thucydides? Ullamne causam excogitare potuit M.S.? Nullam dedit: „Neque obliviscendum est, ante omnia aequalibus suis scripsisse eum cet." — Cur vero editor librariusve talia commentus fuerit? Neque ut emblemata verba eicere licet, antequam eorum origo probabiliter explicata fuerit.

Hucusque quae de Eurymedonte dixit M.S. merae sunt

---

1) III, 81, 2, haec quoque verba expungenda sunt, si verum vidit M.S. τάς τε Ἀττικὰς ναῦς προσπλεούσας.

coniecturae, nunc vero duo praebet argumenta firmiora, alterum e temporis ratione petitum, alterum e Diodoro Siculo desumptum.

In prius igitur inquiramus. Tumultus initium Pithiae fuisse mortem iure contendit, nam ea, quae ante facta sunt, seditio satis apte vocari non possunt. Navem autem, quae statim post ecclesiam, in qua rerum potitos se esse professi sunt optimates, Athenas missa est et alteram, qua vecti sunt Pithiae amici (III, 70, 6), ibi rem communicavisse putat M.S.; ἐν δὲ τούτῳ cum Corcyram advenisset navis Corinthia, optimates in factionem popularem impetum fecisse, tertio fere die post Pithiae mortem [1]). Sexto autem die advenisse Nicostratum (c. 75, 1) [2]), qui cum per biduum fere Corcyraeorum animos placare conatus esset, quarto quintove die post Alcidam venisse (c. 76), i. e. duodecimo vel tredecimo seditionis die; huic tertio die post abeunti classem Atheniensem appropinquare nuntiatum esse.

Atqui, ita argumentatur M.S., si navis, quae nuntium transtulit, quatuor diebus Corcyra Athenas navigavit, ac Eurymedontis classi totidem diebus opus fuit, octo modo dies supersunt, quale temporis spatium non sufficiat ad nuntium in senatum perferendum, probuleuma faciendum, ecclesiam habendam, plebiscitum decernendum, tantam denique classem praeparandam.

Quae omnia rectissime disputata sunt, nisi quod primum numerum tres fuisse sine ulla causa posuit M.S. Imo plures dies praeterierint necesse est, antequam optimates aggressi sunt populum. Tempus enim, quo advenit triremis Corinthia, fere idem esse dicit Thucydides, quo legati Corcyraei ab Atheniensibus vincti sunt, i. e. quarto quintove die post Pithiam interfectum. Praeterea postquam navis

---

1) „Das ist unserer darstellung zufolge geschehen am dritten [?] tage nach der ermordung des Peithias."

2) Nisi τὴν ὑστεραίαν (c. 73) et τὴν διαλιποῦσαν ἡμέραν (c. 74, 1) fortasse falso eandem fuisse duxit M.S.

ea venit, quam verisimile est Alcidae consilium nuntiasse, per breve aliquod temporis spatium impetum, quem meditabantur, paravisse eos credibile est. Ita igitur augetur etiam dierum numerus.

Athenienses autem iam ante Pithiae mortem classem paravisse mihi videntur, quippe quam miserint (c. 80, 2), cum de tumultu Corcyraeo et Alcidae consiliis inaudivissent; hic vero iam ante Pithiae mortem ἐς τὴν Κόρκυραν στασιάζουσαν navigare in animo habuit (c. 79, 2). Et Thucydides ipse per tempus quoque praecedens tumultuatum esse Corcyrae dicit, sive iure sive iniuria, cf. cap. 70, 1: Οἱ γὰρ Κορκυραῖοι ἐστασίαζον, ἐπειδὴ αἰχμάλωτοι ἦλθον. Muelleri igitur computatione nihil probatur.

Et nunc ad alterum argumentum e Diodoro desumptum transeo.

Saepius iam vidimus, Diodori opere usum esse Muellerum contra Thucydidis auctoritatem — iniuria, ut mihi videtur. Nam etsi huic quoque non temere fidendum esse, fere omnibus suis scriptis ostendit M.S., attamen ille tanto inferiorem locum tenere mihi videtur, ut fere nunquam ei credere audeam, si alia rettulerit ac Thucydides. Atque nunc falsa esse ea, quae tradidit XII, 57, certo ostendere possum.

Ibi enim brevissimis verbis Corcyrae historiam refert: magnam exortam esse seditionem, cum captivi rediissent et populi capitibus interfectis statum popularem sustulissent: paullo tamen post Atheniensium auxilio libertate recuperata, Corcyraei κολάζειν ἐπεβάλοντο τοὺς τὴν ἐπανάστασιν πεποιημένους. οὗτοι δὲ φοβηθέντες τὴν τιμωρίαν, κατέφυγον ἐπὶ τοὺς τῶν θεῶν βωμούς, καὶ ἱκέται τοῦ δήμου καὶ τῶν θεῶν ἐγένοντο. Et e novo codice Patmi reperto haec adduntur: οἱ δὲ Κορκυραῖοι διὰ τὴν πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν μὲν τῆς τιμωρίας αὐτοὺς ἀπέλυσαν, ἐκ τῆς πόλεως δὲ ἐξέπεμψαν. οὗτοι δὲ πάλιν νεωτερίζειν ἐπιβαλόμενοι καὶ τειχίσαντες ἐν τῇ νήσῳ χωρίον ὀχυρὸν ἐκακοποίουν τοὺς Κορκυραίους. ταῦτα μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν.

Quibus verbis idem narrari videtur, quod legitur Thuc. III, 75, Nicostratum factiones in gratiam reconciliavisse, decem modo optimatibus ad poenam electis, *οἳ οὐκέτι ἔμειναν*.

Holzapfel autem, cui assentitur M.S., opinatur, Diodorum, cum in fonte suo nihil de caede invenisset, ipsum *εὐσεβείας* causam addidisse. „Ephorus igitur (ait M.S.) caedis nullam mentionem fecit, etsi eam legerat apud Thucydidem; cuius annotationi de Eurymedontis classe diffisus, in plebiscitorum eius anni stelis perquisivit et cum viri nomen ibi non invenisset, neque eo anno Corcyrae eum adfuisse inde intellegeret, totam caedis descriptionem omisit [1]).

At inspiciamus eiusdem Diodori alium locum XIII, 48, ubi tumultus anni 410 narratur: *Συνέβη δὲ περὶ τοῦτον τὸν χρόνον ἐν τῇ Κορκύρᾳ μεγάλην γενέσθαι στάσιν καὶ σφαγήν. ἦν δ' ἑτέρας μὲν αἰτίας λέγεται γενέσθαι, μάλιστα δὲ διὰ τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς πρὸς ἀλλήλους ἔχθραν. ἐν οὐδεμιᾷ γὰρ τότε πόλει τοιοῦτοι πολιτῶν φόνοι συνετελέσθησαν, οὐδὲ μεῖζων ἔρις καὶ φιλονεικία πρὸς ὄλεθρον ἀνήκουσα. δοκοῦσι γὰρ οἱ μὲν ἀναιρεθέντες ὑπ' ἀλλήλων πρὸ ταύτης τῆς στάσεως, γεγονέναι περὶ χιλίους καὶ πεντακοσίους, καὶ πάντες οὗτοι πρωτεύοντες τῶν πολιτῶν.* Unde apparet, magnum fuisse odium ob priorem seditionem, in qua 1500 optimates necati essent. Quid? unde illud odium, quale in nulla alia fere civitate? Quando 1500 illi viri necati sunt, si anno 427 veniam et impunitatem omnes impetrarunt?

Aut igitur *στάσις* in Thucydidis tertio libro narrata re vera magna fuit, aut magnus ille optimatium numerus interfectus est anno 425; at hoc non ita esse, e Thucydide et nunc apparet et multo etiam certius appareret, si capita illa quarti libri ad res anno 427 gestas pertinerent et de anni 425 igitur pugna nihil rettulisset; neque eorum, quae hoc anno facta sunt, ulla fit mentio apud Diodorum.

---

1) Quae causa num sufficeret, ut totam caedem omitteret, dubitare audeo.

Praeterea ea, quae Diodorus de anno 410 narravit, simillima sunt iis, quae Thucydides rettulit in tertio libro. Utrobique enim Messenii in urbem introducuntur, optimates in continentem fugiunt et revertuntur, ἀγορὰ occupatur. „Was Diodors bericht betrefft," ait H. R. Pomtow in Fleck. Ann. 1883, p. 313 „so ist zwar die möglichkeit zuzugeben, dass ihm bei der ausmalung des ganzen ereignisses Thukydideische farben aus dem früheren aufruhr vorgeschwebt haben und er bewust oder unbewust mehrere züge aus ihm entlehnt hat u. s. w." Atqui, si hoc verum est, necesse est Diodorum aut Thucydidem ipsum inspexisse, aut in Ephoro similem caedis descriptionem legisse et neglegenter igitur fonte suo usum esse; ut passim neglegentiae accusandus est homo.

Muelleri igitur argumenta diluisse mihi videor, et nego credibile esse, usque adeo delirasse Thucydidem ut duo triave capita de atrocissimis facinoribus et moribus post tumultum depravatis scriberet, si hic tumultus nulla crudelitatis praebuisset exempla sed notabilis fuisset propter incredibilem utriusque factionis humanitatem et religionem. Diodori igitur auctoritas in hac re nullius momenti est et rogare licet, quod alibi M.S.: „Wo hat der Mensch das Zeug her?"

Et nunc de editore illo, quem iactat M.S., pauca addere volo. Qui quid fecerit, inseruerit, mutaverit, id accurate definire M.S. non est conatus. Addidisse eum libri IV capita 46—48, scripsisse libri III caput 85 ad transitum ad sequentia parandum, alios quoque locos mutavisse, professus est. At utrum e. g. Eurymedontis classis mentio Thucydidi an editori debeatur, hoc e Muelleri disputatione non apparet, neque quomodo ceteras difficultates ortas esse sibi fingat.

Si vero probabiliter ostendi, libri IV capita 46—48 ex tertii libri recensione altera oriri non potuisse, editorem illum spernere mihi licebit; et eo citius id faciam, quod Wilamowitzius, qui eum primus detexit, talia de eo

scripsit [1]): „wenn wir diesem selber (i. e. Thucydidi) widersprüche, grobe fahrlässigkeit, unredlichkeit zutrauen, dann brauchen wir den herausgeber freilich so wenig, wie die blutdürstigen interpolatoren, dann sollen wir aber aufhören den peloponnesischen krieg nach diesem unzuverlässigen scribenten zu erzählen"; cui M.S. quodammodo assentitur.

Ad talem autem editorem recurrere tum demum licet, cum nullo alio modo explicari possint difficultates, quarum maiorem numerum eiusdem originis esse pateat: sin minus, non magni ducendae sunt eiusmodi hypotheses. Iure Lipsius haec dixisse mihi videtur [2]): „das mittel mag ja recht bequem sein um über allerlei wirkliche und vermeintliche schwierigkeiten hinwegzuhelfen, aber als einen fortschritt in der methode der Thukydideserklärung sollte man es nicht anpreisen."

Neque operis evulgati pars aliqua ab editore postea tantopere mutari potuit, nam qui priorem editionem legissent et vera in ea narrari scirent, eius additamenta non tulissent.

Quod praecedenti capite pollicitus sum (p. 119), id nunc perficiam; quam ob rem de iis agere volo, quae in eadem disputatione scripsit M.S. de Thuc. I, 126 et 127. Hinc enim nova argumenta petivit opinionis suae, semper et ubique lectores suos docere voluisse Thucydidem.

Postquam autem socii Peloponnesii bellum contra Athenas decreverunt, per totum fere se annum praeparaverunt. *Ἐν τούτῳ δ' ἐπρεσβεύοντο τῷ χρόνῳ πρὸς τοὺς Ἀθηναίους ἐγκλήματα ποιούμενοι, ὅπως σφίσιν ὅτι μεγίστη πρόφασις εἴη τοῦ πολεμεῖν, ἢν μή τι ἐσακούωσι. καὶ πρῶτον μὲν πρέσβεις πέμψαντες οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐκέλευον τοὺς Ἀθηναίους τὸ ἄγος ἐλαύνειν τῆς θεοῦ* (c. 126). „At (rogat M.S.) apud quem praetextu iis opus fuit, cum

1) Hermes XX, p. 487.
2) Fleck. Jahrb. 1885, p. 679.

omnes socii bellum decrevissent? An Atheniensium fortasse metuerunt opinionem?"

Respondeo: ut ex suo ipsorum animo eximerent religionem, neve deos offenderent et ut Atheniensium sociorum animos sibi conciliarent. Nam contra nihil peccantes Athenienses bellum se, nulla re provocatos, decrevisse sciebant, ex hostium igitur parte esse fas et ius. Sperabant autem fore ut legationibus iusta petere viderentur et ubi recusassent Athenienses, quod expectare poterant, melius sibi belli incipiendi fore ius: conferri potest Thuc. VII, 18, 2: *μάλιστα δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐγεγένητό τις βώμη .... ὅτι τὰς σπονδὰς προτέρους λελυκέναι ἡγοῦντο αὐτοὺς· ἐν γὰρ τῷ προτέρῳ πολέμῳ σφέτερον τὸ παρανόμημα μᾶλλον γενέσθαι .... καὶ διὰ τοῦτο εἰκότως δυστυχεῖν τ' ἐνόμιζον κ. τ. λ.*

Et nunc de legatione ipsa videamus. Petierunt enim, ut Alcmaeonidae eicerentur, ad quam familiam Periclem pertinere scirent; non tamen expulsum eum iri sperabant, sed si maneret, fore ut belli causa is haberetur et inde viri fama et potentia imminuerentur.

Quod cum expectare possent Spartani, quid iis opus erat perpendere, num ex re sua foret, si omnes pellerentur Alcmaeonidae, inter quos multi essent Laconum amici? Si vero contra omnium opinionem cessissent Athenienses, non, opinor, ursissent ephori, ut Cimonis quoque filii vel Phidippides patriam relinquerent. Neque absurda erat res, quippe quae antea quoque Cleomene adiuvante facta esset [1]).

Praeterea legationis huius iterum fit mentio II, 13, 1, ubi legimus, praedia sua populo Atheniensi dono dedisse Periclem, ne Archidamus hospes intacta ea relinqueret metuentem, *ὥσπερ καὶ τὰ ἄγη ἐλαύνειν προεῖπον ἕνεκα ἐκείνου* (ephori). Quae verba legentem, risum tenere se non potuisse fatetur M.S.; cuius tamen risus causam ignoro, nam nihil, quod offendat, habere mihi videtur locus, si ita vertimus: metuens, ne Archidamus, qui amicus sibi esset,

---

1) Vid. Herod. V, 70, Aristot. Athen. Civit. 1.

sive sponte sua sive ephoris iubentibus ipsius praedia non vastaret, neve inde calumnia in se exoreretur, ut antea quoque ipsius causa piaculi poposcissent expiationem Lacedaemonii, in comitiis cet. [1]).

At hoc quoque veri dissimile esse dicit M.S., tale ephororum iussum expectasse Periclem; si vero quam maxime expectaret, non ante, quid facturus esset, polliceri debuisse, quam re vera agris pepercisset Archidamus; „die dann vollzogene abtretung seiner unverwüsteten landgüter hätte dann noch wohl eine noch stärkere wirkung hervorgebracht" (p. 630).

Vix credo. Sic enim invidiam inde in eum conflassent eius inimici, tunc demum de possessione decessisse eum vulgantes, cum inde vituperari vel vituperatum iri se cognosset.

Quod argumento est, non tam stolidam fuisse ephororum agendi rationem; nam si Muellerus, vir rerum publicarum peritissimus, tunc civitati Atheniensi praefuisset, prospere iis res cessisset. Atque „nota ars ducum" est [2]), neque igitur spernenda esse videtur.

Praeterea opusne est ut optima et utilissima semper fuerint Spartanorum et Atheniensium consilia [3])? Imo contrarium luculenter satis apparet ex praepostera ratione, qua per primos annos bellum gesserunt.

Et cur hoc de praediis mendacium addidisset Thucydides? Ignorat M.S., cur vero legationem eam finxerit, eius rei bonam causam dare posse sibi videtur: docendi studium.

Scilicet ut Cylonis narraret conatum, ut cum eo Pausaniae et Themistoclis fata coniungere posset, ideo eam legationem inseruisse auctorem.

At, quaero, cur tali fictione nostro opus fuit? Nonne nunc quoque Themistoclis historia fere nullo cohaeret

---

1) Delevit verba Valckenaer, quem secutus est v. Herwerden.

2) Tac. Hist. V, 23, Liv. II, 39.

3) Cf. Aristoph. u. d. Hist. Krit. p. 283, ubi idem rogavit M.S. de Pericle.

vinclo cum vicinis? Nonne in libro VI° episodium de Pisistratidis tenui filo assutum est?

Nonne Pausaniae et Themistoclis fata post I, 96 addere potuisset? Cur non quinquaginta annorum historiam uberius exposuit?

Docendine studio ea episodia tribuenda videntur, quibus nihil nisi nuda fata rettulerit? Eodem, puto, iure fasti opus didacticum vocari possunt.

Etiamsi autem aequales, cum Plataearum legerent obsidionem, vivida narratio impediverit, quominus singularum rerum veritatem penderent, in legationis falsa commemoratione hoc fieri non potuit.

Atqui ipsum Thucydidem I, 22, 4, docendi studium suum confessum esse dicit M.S. [1]), sed contendit iniuria. Quod enim historicus illo loco dicit, hoc est: historiam, quae fabulis non sit ornata, sed nuda facta referat, ut minus iucundam, sic utiliorem fore, cum posteri, *τῶν γενομένων τὸ σαφὲς σκοποῦντες*, quomodo gerere se debeant, discere inde possint, i. e. non e praescriptis a scriptore additis, sed e rebus ipsis, quoniam *τὰ μέλλοντά ποτε αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιαῦτα καὶ παραπλήσια ἔσται*. Haec, puto, non inepti ludimagistri sunt verba.

„Lectores suos (ait M.S.) de peste docere voluit Thucydides, de arte oppidorum expugnandorum, de machinarum bellicarum structura, de arte reipublicae administrandae, de exercitibus ducendis, quippe quarum rerum non ignarus sibi ipse videretur; ich habe ihn schon lange für einen höchst gescheiten, höchst bedeutenden, auf der ganzen höhe der bildung seiner zeit stehenden mann gehalten, zugleich aber auch für einen durchaus unpraktischen, rein theoretischen doctrinär — ich hätte beinahe gesagt, pedanten!" (p. 633). Imo ille vir ei fuisse videtur Thucydides, qui secundum Plutarchum Agidi liberandae Graeciae con-

---

1) Iam anno 1881 Thucydidis opus vocavit M.S.: „eine martialisch-didaktische Epopoee." Thuk. Forsch. p. 69.

silium proposuit, non malum quidem, sed vix efficiendum [1]).

Neque e cetero opere docendi ea lubido apparere mihi videtur. Quid! Plataearumne obsidionis descriptione artis πολιορκητικῆς praescripta dare voluit? Debebat igitur de quoque conatu opinionem suam addere. Quanto verisimilius est, eum haec omnia finxisse, ut obsidionem in maius celebraret!

Quod vero M.S. putat, Thucydidem seditionem Corcyraeam consulto auxisse, ut παραινέσεως addendae ius haberet, ostendisse mihi videor, re vera magnam eam fuisse; et rogare velim, quid peroratione ea docere voluerit? An melius esse, seditione abstinere?

Unicum modo exemplum esse potest pestis descriptio. Hanc, opinor, non in ipsius operis contextum recepisset sed in annotationem relegasset, si mos hodiernus invaluisset apud antiquos.

Denique ne in orationibus quidem praescripta dedit Thucydides, in quibus rerum conditio semper ex mente loquentis consideretur.

Iam satis multa dedi argumenta, ut ostenderem, iniuria a Muellero Thucydidem comparatum esse cum ludimagistro, neque opus scripsisse hunc didacticum [2]).

Finem faciam, quanquam permulta in Muelleri Str. operibus supersunt, quaestione dignissima.

Quis enim non admiretur pulcherrimam viri disputatio-

---

1) Huic hypothesi ne ipse quidem M.S. multum tribuit. At hoc tantum rogare volo, nonne, si Thucydides id fecisset, cum narratiuncula illa iunctum viri nomen traditum fuisset.

2) Vera sunt, quae scripsit A. Bauer, Thuk. u. M.S. p. 25, qui libellus ceteroquin non magni momenti esse mihi videtur: „wie reimt sich zu der früheren Ansicht, Thukydides habe auf frischer That geschrieben und schnell publiziert, das, was jetzt behauptet wird: die Erfindung von Thatsachen, um in Anschluss an deren Erzählung belehren zu können und die Verarbeitung der Belagerungs-geschichte von Plataiai zu einem Traktat über die Belagerungskunst?"

nem de comoedia Attica [1])? Nam etiamsi multos locos Aristophaneos quaesitius interpretatus sit, omnes, opinor, concedent, comoediam antiquam optime eum intellexisse, „dass er Spasz und etwas von Politik versteht" [2]), quippe qui insulsas opiniones de scortis illis raptis (Ach. v. 523 sqq.), de Chalcedone (Equit. v. 174), de Oreste (Ach. v. 1166, Av. v. 712) primus iure deriserit et pessimas esse solitas explicationes ostenderit.

Quem non alliciat copiosa disputatio de miro illo de Civitate Atheniensi scripto, quod inter Xenophontis opera invenitur [3])?

Neque neglegendae sunt coniecturae, quas protulit; nam etiamsi saepius audacissimas et veri dissimiles proposuerit emendationes, nonnunquam tam sagax fuisse mihi videtur in vitiis deprehendendis et tam lepido modo iis medicatus esse, ut ne inter criticos quidem iniuria nominetur [4]).

Sed ego, ut iam dixi, finem faciam, his modo pulcherrimis viri verbis exscriptis, qualia apud paucos invenias. Leguntur Aristoph. u. d. Hist. Krit. p. 114, ubi de ioco Aristophaneo agit: „Solche Dinge sind nur dann entschuldbar, nur dann erträglich — dann aber auch sogleich mehr als das, dann sogleich ergötzlich — wenn sie aus naiver Ausgelassenheit, aus unbefangen übersprudelnder Lebenslust hervorgehen, wenn sich Dichter und Publikum ganz auf demselben Boden harmloser, ja unverschämter Natürlichkeit umhertummeln, in einem Garten, in dem noch keine Feigenblätter wachsen; nur dann, wenn das freie, leichte Spiel des Witzes weder der moralischen noch der lüstern Reflexion die Zeit sich zu sammeln lässt, wenn der lustige Humor eben so gut, wie er die Kluft, die

---

1) Aristoph. u. d. Hist. Krit. p. 1—181.

2) Vid. eiusdem libri p. 5 et 25 sqq.

3) Philologus 1880.

4) Exempla laudo: Plut. V. Per. 37 (Arist. u. d. Hist. Krit. p. 98), Pac. v. 187 (eiusdem libri p. 141), Equit. v. 130 (eiusdem libri p. 578), Thuc. I, 61. (Fleck. Jahrb. 1883, p. 600).

sonst Menschen und Vögel, die sonst Menschen und Götter trennt, siegreich überbrückt hat, ebenso auch die conventionellen Schranken des Anstandes, mit denen das arme enge Menschenleben sich sonst zu seinem Schutze umgeben muss, für den Augenblick mit lachender Keckheit niederreisst, und uns, sei es auch nur momentan, sei es auch nur aus der Ferne, einen Blick thun lässt in jene Welt, ‚wo erlaubt ist, was gefällt'."

THESES.

I.

Nicias fretum inter Delum et Rheneam ponte non iunxit, vid. p. 94 sq.

II.

Frumenti ἀκμὴ frumenti est maturitas, vid. p. 99.

III.

Aesch. Agamemn. v. 562 spurius est.
„ „ v. 1226 „ „ .

IV.

Soph. Aiac. v. 1036—1039 delendi sunt.

V.

Soph. Oed. R. v. 8 spurius est.

VI.

Soph. Oed. Col. v. 498—499 expungantur.

VII.

In Sophoclis Electra Pylades κωφὸν est πρόσωπον.

VIII.

Eur. Hecub. v. 225—226 expungendi sunt.
„ „ v. 736 expungatur.

IX.

Aristoph. Av. v. 447 male explicavit Kock.
Aristoph. Lys. v. 270, male Blaydes arbitratur, τὴν Λύκωνος Lysistratam esse.

X.

Schol. ad Equit. v. 43 lege: ἐπ εχειροτονοῦντο.

XI.

Athenis mulieribus comoedias spectare licebat.

XII.

Thuc. II, 81, 5, expungatur vocabulum ἐνέδραις.
„ III, 6, 2, „ „ πλοίων.

XIII.

Hor. Od. II, 13, 15 versus sanus est.

XIV.

Hor. Od. IV, 4, 73—76 poetae sunt verba, non Hannibalis.

XV.

Tac. Hist. II, 86, Grotii emendatione opus non est.

XVI.

Tac. Ann. I, 68, legendum cum Turnebo: fossis iniciunt crates.

XVII.

Tac. Ann. XV, 50, „ardente domo". Bene locum explicavit Acidalius.

XVIII.

Hitopadeça, III, 4 (Böhtl. Chresth. p. 153, v. 26). „*sarasi*" is een embleem.

XIX.

De vertaler van een kunstwerk moet de eigenaardigheden van den schrijver hooger stellen dan de regels der taal, waarin hij het overbrengt.

803
aestiones atticae;
dener Library 005852443
3 2044 085 078 822